Copia superflua
habetr. 1. S. 29.

VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE ROMA
7 A
16

Bibliotheca
Majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

37-9-C-15.

14.6.12

A.41

APOLOGIÆ
PATRUM SOCIETAT

CONTRA

Cenſuram Lovanienſem & D
cenſem,

Conſcriptæ circa annum 1588.

Quibus hic accedit brevis deſcri
exordii & progreſſus totius
Controverſiæ,

*Ab iiſdem Authoribus fideliter
concinnata.*

LEODII,

RESPONSIO
AD CENSURAM
Facultatis Sacræ Theologiæ Lovanienſis.

PRÆFATIO.

CVm nobis à Facultate Theologica quædam ex noſtris lectionibus ab Auditoribus exceptis deſumpta, fuiſſent oblata, tanquam in eis contineretur, quod offendere poßit, rogavimus aliquoties Facultatem, ut duos dignaretur deputare, qui nobiſcum de iſtis coram Arbitris hinc inde à partibus deputatis agerent: ut ita & ipſi noſtras, & nos illorum ſententias, & quæ inter nos eſſet diſcrepantia, intelligeremus, & à labore ſcribendi & replicandi, qui in infinitum tendere ſolet, ſuperſederetur. Animadvertebam enim, multa non eſſe intellecta, multa in alium ſenſum accepta, pleraque etiam ita à ſuis locis avulſa & detorta & imperfectè mutilèq; poſita, ut intelligi commodè nequirent, omiſſis præſertim illis, quæ ad explicationem illorum pertinebant. Sperabam itaque fore, ſi coram ageretur, ut ſingula clarè aperirentur, & Magiſtri Noſtri nos de ſin-

gulis

gulis ſententiis & verbis, ſi videretur, interrogarent, quid ſentiremus & quomodò explicaremus; & nos viciſſim ab illis, ſicubi eſſet diſſenſio. Hæc enim videbatur facillima via ineundæ concordiæ, præſertim cùm noſtra dogmata non ſint nova neque privata; ſed omnibus ſæculis jam inde ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia defenſa, & penè ab omnibus Patribus explicata, & hâc maximè tempeſtate apud omnes uſitata, qui contra hæreticos de libero arbitrio diſputant. Inter quos & D. Ruardus, qui hujus Univerſitatis, cùm maximè floreret & Studioſorum numero & integritate doctrinæ, columna erat: Item D. Driedo, & D. Adrianus Papa, & Reverendiſſimi, Doctiſſimiq; Epiſcopi D. Cunerus & D. Martinus Rithovius, ut mirum ſit Dominos Cenſores dicere hæc dogmata eſſe offenſiva, peregrina & periculoſa. Itaque non ſperabam fore difficile convenire, ſi hanc controverſiam ſine ſcriptis coram aliquibus deputatis diceptare concederetur. Sed quia non placuit Facultati hanc rationem inire, ſed ſcripto agere (quam ob cauſam neſcio) neceſſitate compulſus quantum opus fuerit, ſcripto reſpondebo.

Sed primò advertendum eſt, exceptis propoſitionibus de Scriptura, quæ poſtea adjectæ

 ſunt

ſunt, controverſiam noſtram in quatuor conſiſtere quæſtionibus.

1. Vtrùm omnes homines poſt lapſum ex parte Dei habeant ſufficiens auxilium, quo poſſunt peccata vitare, item à peccatis reſurgere & ſalvari?

2. Utrùm parvuli, qui moriuntur ante Baptiſmum, ita à Deo ſint reprobati, ut ipſe per ſe eorum impediat ſalutem & applicationem remedii, ordinando & diſponendo omnes cauſas naturales & liberas, ut illis non applicetur remedium ſalutis; an verò Deus juſto ſuo judicio permittat remedium non applicari, ſinendo res naturales & liberas agi ſuis propriis motibus? *Vt loquitur Auguſtinus.*

3. Utrùm homo ſufficienter excitatus & præparatus ad fidem vel ad converſionem per gratiam excitantem & prævenientem, poſſit credere vel non credere, converti vel non converti ſine nova gratiâ, quæ præveniat ejus conſenſum, & faciat illum conſentire; ita ut illâ poſitâ non poſſit diſſentire & ſine illa non poſſit in effectu conſentire. *Quod ſic clarius explicatur:* Utrum duobus ęqualiter excitatis & præparatis per gratiam Dei, fieri poſſit ut alter credat, alter non credat, ſine ulla nova gratia præveniente & efficaciter præ-

operante

operante ipſum credere in eo qui credit, ſolùm quia hic ita præparatus vult, ille non vult?

4. Utrùm omnia, quæ fiunt, efficaciter ſint præordinata à Deo, ante omnem omnium præſcientiam?

In his omnem noſtrorum dogmatum controverſiam ſitam eſſe, mihi faſſi ſunt duo Magiſtri Noſtri, qui præ cæteris in noſtris ſententiis examinandis & refutandis laborarunt: & perſpicuum etiam eſt ex propoſitionibus hîc collectis, item ex teſtimoniis & rationibus, quæ contra eas adferuntur.

Ob has quæſtiones, quia aliud ſentimus, Magiſtris Noſtris putamur totam D. Auguſtini doctrinam evertere; & ideo tam gravis contra nos inſtituitur declamatio. Itaque vitandæ prolixitatis causâ commodius fuiſſet, iſtas propoſitiones reſectis, ſupervacaneis, per ſe examinare, an aliquid offenſi nis continerent, vel certè eas ad Sedem Apoſtolicam mittere, ut ipſa de his judicium ferret. Verùm nec hoc placuit Magiſtris Noſtris. Itaque breviter reſpondebo, & primùm ad præfationem.

RESP.

RESPONSIO

Ad Præfationem.

IN præfatione primo vocantur dogmata noſtra *peregrina*, *offenſiva* & *periculoſa*, quæ valde dura eſt cenſura, præſertim non auditâ parte, quæ id deſideravit & rogavit. Quod ſi talia fuerint deprehenſa & judicata ab eo, qui etiam extra Concilium generale controverſiarum eſt infallibilis judex, id eſt à Sede Apoſtolica, paratiſſimi ſumus ea mox revocare; nos enim filij ſumus Sedis Apoſtolicæ, cujus judicio nobis in omnibus parendum eſſe duximus, à cujus definitione ne latum quidem unguem recedemus. Sed quomodo poſſunt eſſe *peregrina*, cùm D. Ruardus hujus Univerſitatis columen & ante aliquot annos docuerit, & ex parte etiam Driedo & Adrianus Papa, & ante paucos annos Reverendiſſimi Epiſcopi D. Cunerus & D. Rythovius? Non eſſe autem *offenſiva* vel *periculoſa*, patebit ex reſponſionibus.

 Secun-

APOLOGIÆ
PATRUM SOCIETAT
CONTRA
Cenſuram Lovanienſem & D
cenſem ,

Conſcriptæ circa annum 1588.

Quibus hic accedit brevis deſcr
exordii & progreſſus totius
Controverſiæ,

*Ab iiſdem Authoribus fideliter
concinnata.*

LEODII,

RESPONSIO
AD CENSURAM
Facultatis Sacræ Theologiæ Lovanienſis.

PRÆFATIO.

Cum nobis à Facultate Theologica quædam ex noſtris lectionibus ab Auditoribus exceptis deſumpta, fuiſſent oblata, tanquam in eis contineretur, quod offendere poſſit, rogavimus aliquoties Facultatem, ut duos dignaretur deputare, qui nobiſcum de iſtis coram Arbitris hinc inde à partibus deputatis agerent: ut ita & ipſi noſtras, & nos illorum ſententias, & quæ inter nos eſſet diſcrepantia, intelligeremus, & à labore ſcribendi & replicandi, qui in infinitum tendere ſolet, ſuperſederetur. Animadvertebam enim, multa non eſſe intellecta, multa in alium ſenſum accepta, pleraque etiam ita à ſuis locis avulſa & detorta & imperfectè mutilèq; poſita, ut intelligi commodè nequirent, omiſſis præſertim illis, quæ ad explicationem illorum pertinebant. Sperabam itaque fore, ſi coram ageretur, ut ſingula clarè aperirentur, & Magiſtri Noſtri nos de ſin-

gulis

gulis ſententiis & verbis, ſi videretur, interrogarent, quid ſentiremus & quomodò explicaremus; & nos viciſſim ab illis, ſicubi eſſet diſſenſio. Hæc enim videbatur facillima via ineundæ concordiæ, præſertim cùm noſtra dogmata non ſint nova neque privata; ſed omnibus ſæculis jam inde ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia defenſa, & penè ab omnibus Patribus explicata, & hâc maximè tempeſtate apud omnes uſitata, qui contra hæreticos de libero arbitrio diſputant. Inter quos & D. Ruardus, qui hujus Univerſitatis, cùm maximè floreret & Studioſorum numero & integritate doctrinæ, columna erat: Item D. Driedo, & D. Adrianus Papa, & Reverendiſſimi, Doctiſſimíq; Epiſcopi D. Cunerus & D. Martinus Rithovius, ut mirum ſit Dominos Cenſores dicere hæc dogmata eſſe offenſiva, peregrina & periculoſa. Itaque non ſperabam fore difficile convenire, ſi hanc controverſiam ſine ſcriptis coram aliquibus deputatis diceptare concederetur. Sed quia non placuit Facultati hanc rationem inire, ſed ſcripto agere (quam ob cauſam neſcio) neceſſitate compulſus quantum opus fuerit, ſcripto reſpondebo.

Sed primò advertendum eſt, exceptis propoſitionibus de Scriptura, quæ poſtea adjectæ

ſunt, controverſiam noſtram in quatuor conſiſtere quæſtionibus.

1. Vtrùm omnes homines poſt lapſum ex parte Dei habeant ſufficiens auxilium, quo poſſunt peccata vitare, item à peccatis reſurgere & ſalvari?

2. Utrùm parvuli, qui moriuntur ante Baptiſmum, ita à Deo ſint reprobati, ut ipſe per ſe eorum impediat ſalutem & applicationem remedii, ordinando & diſponendo omnes cauſas naturales & liberas, ut illis non applicetur remedium ſalutis; an verò Deus juſto ſuo judicio permittat remedium non applicari, ſinendo res naturales & liberas agi ſuis propriis motibus? *Vt loquitur Auguſtinus.*

3. Utrùm homo ſufficienter excitatus & præparatus ad fidem vel ad converſionem per gratiam excitantem & prævenientem, poſſit credere vel non credere, converti vel non converti ſine nova gratiâ, quæ præveniat ejus conſenſum, & faciat illum conſentire; ita ut illâ poſitâ non poſſit diſſentire & ſine illa non poſſit in effectu conſentire. *Quod ſic clarius explicatur:* Utrum duobus æqualiter excitatis & præparatis per gratiam Dei, fieri poſſit ut alter credat, alter non credat, ſine ulla nova gratia præveniente & efficaciter præ-

operante

operante ipſum credere in eo qui credit, ſolùm quia hic ita præparatus vult, ille non vult?

4. Utrùm omnia, quæ fiunt, efficaciter ſint præordinata à Deo, ante omnem omnium præſcientiam?

In his omnem noſtrorum dogmatum controverſiam ſitam eſſe, mihi faſſi ſunt duo Magiſtri Noſtri, qui præ cæteris in noſtris ſententiis examinandis & refutandis laborarunt: & perſpicuum etiam eſt ex propoſitionibus hic collectis, item ex teſtimoniis & rationibus, quæ contra eas adferuntur.

Ob has quæſtiones, quia aliud ſentimus, Magiſtris Noſtris putamur totam D. Auguſtini doctrinam evertere; & ideo tam gravis contra nos inſtituitur declamatio. Itaque vitandæ prolixitatis causâ commodius fuiſſet, iſtas propoſitiones reſectis, ſupervacaneis, per ſe examinare, an aliquid offenſionis continerent, vel certè eas ad Sedem Apoſtolicam mittere, ut ipſa de his judicium ferret. Verùm nec hoc placuit Magiſtris Noſtris. Itaque breviter reſpondebo, & primùm ad præfationem.

RESP.

RESPONSIO

Ad Præfationem.

IN præfatione primo vocantur dogmata noſtra *peregrina*, *offenſiva* & *periculoſa*, quæ valde dura eſt cenſura, præſertim non auditâ parte, quæ id deſideravit & rogavit. Quod ſi talia fuerint deprehenſa & judicata ab eo, qui etiam extra Concilium generale controverſiarum eſt infallibilis judex, id eſt à Sede Apoſtolica, paratiſſimi ſumus ea mox revocare; nos enim filij ſumus Sedis Apoſtolicæ, cujus judicio nobis in omnibus parendum eſſe duximus, à cujus definitione ne latum quidem unguem recedemus. Sed quomodo poſſunt eſſe *peregrina*, cùm D. Ruardus hujus Univerſitatis columen & ante aliquot annos docuerit, & ex parte etiam Driedo & Adrianus Papa, & ante paucos annos Reverendiſſimi Epiſcopi D. Cunerus & D. Rythovius? Non eſſe autem *offenſiva* vel *periculoſa*, patebit ex reſponſionibus.

Secundò, & hæc dogmata *inter communes auditores & diſcipulos diſſidia, ac partium ſtudia generaſſe.*

Reſp. Si quæ contentio inter illos orta eſt, ideo orta eſt, quòd quidam Magiſtri Noſtri ſententias noſtras erroneas, alij etiam hæreticas & Pelagianas dicerent, has nempe: *omnes habere ſufficiens auxilium ex parte Dei. Hominem viribus naturæ poſſe invocare Deum ut authorem naturæ. Hominem ſufficienter excitatum & præparatum poſſe converti ſine nova gratia, quæ faciat ipſum converti & conſentire.* Quod cum à quibuſdam ſtudioſis eſſet exceptum & noſtris auditoribus oblatum, conati ſunt quidem iſtas ſententias tueri, & ita ventum eſt ad diſputationes. Monuimus tum ſtatim noſtros, non eſſe inter nos & Facultatem animorum diſſenſionem: itaque nec inter ipſos eſſe debere: & proinde oportere cum modeſtia, non condemnando alterutram ſententiam inter ſe conferant. Et quamvis quidam Authores, qui hac tempeſtate contra hæreticos ſcribunt, graviter contrariam ſententiam inceſſant, nos tamen contra illam nihil acerbius cenſuimus, ſed ſimpliciter noſtram propoſuimus & confirmavimus, contraria ſententiâ in genere dumtaxat refutatâ; ignora-

bamus enim eam à Facultate teneri. Itaque à nobis nulla data eſt occaſio, cur ſtudioſi in partes diſcederent, nec jam puto ulla partium ſtudia inter illos eſſe.

Tertiò, multa dicuntur de authoritate D. Aug. & ita traducimur, quaſi nos nitamur totam ejus doctrinam de gratia & prædeſtinatione evertere. Immo ſemper profeſſus ſum, me ſequi doctrinam D. Auguſtini de prædeſtinatione & gratia ſufficienti & efficaci: ſolum viſus ſum ab eo recedere in quæſtione de electione immediata & abſoluta ad gloriam; dixi enim efficacem & abſolutam voluntatem dandi gloriam eſſe poſteriorem ratione, quàm ſit prævìſio meritorum. Et quia quidam putant, Auguſtinum ſentire contrarium, ſcilicet Deum ante omnem prævìſionem quaſi in primo rationis ſigno omnes ſalvandos elegiſſe voluntate abſolutâ ad gloriam, & in ſecundo ſigno præparaſſe merita; ideo dixi in lectionibus meis: contraria ſententia tribuitur Auguſtino; ego enim dubitabam, an revera hoc Auguſtinus ſentiret: unde non fui auſus dicere abſolutè, ſententiam eſſe Auguſtini.

Poſtea tamen obortâ hac controverſia, loca Auguſtini accuratius expendi, & non deprehendi aliquem, ex quo poſſit con-

convinci, D. Auguſtinum hoc ſentire.

Itaque teneo, Auguſtinum etiam hac in re nobis non adverſari; hâc enim ratione conciliatur cum pluribus Græcis & aliis qui fuerunt ante Auguſtinum, qui omnes tenent (ut oſtendi in lectionibus) præparationem gloriæ eſſe ex præviſis meritis. Sic eos conciliat Tapper. a. 7. Driedo fol. 54. de concordantia liberi arbitrij. Sic etiam facilius explicamus rationem meriti & liberi arbitrij contra hæreticos, qui iſtam contrariam ſententiam avidiſſime ſunt amplexi, & ex ea meritum & liberum arbitrium conantur evertere. Vide Calvinum lib. 3. cap. 21. & præſertim 22. §. 1. 2. &c. & 9.

Quartò, dicitur, nos aſſerere, Græcos Patres eſſe contrarios D. Auguſtino in ſupradicto argumento.

Reſp. Hoc non eſſe verum. Imò putamus & dicimus, D. Auguſtinum de auxilio ſufficienti & efficaci, & de præ-deſt. omnino conſentire cum Græcis; hanc tamen propoſitionem, ſcilicet *electionem ad gloriam eſſe ex præviſis meritis*, eſſe apertè ſententiam Græcorum, quod patet ex D. Ruardo Tappero & Driedone, & nos oſtendimus ſatis multis teſtimonijs. Contrariam verò ſententiam dicebamus

tri-

tribui Auguſtino; nunc autem putamus, noſtram eſſe D. Auguſtini. Id ſi tamen non eſſet, nihil ſanè periculi eſſet, ut aliàs demonſtravi: ſicut etiam quidam ex MM. NN. putant, D. Auguſtinum ſentire, *non omnibus dari ſufficiens auxilium, ut reſiſtant peccato.* Item *neceſsitatem peccandi quæ ex peccato originali vel actuali oritur, non excuſare à peccato; quæ tamen excuſaret, ſi ex peccato orta non eſſet; & peccatum, quod pœna eſt peccati, non ſolùm à Deo eſſe permiſsivè ſubſtracto auxilio, ſed etiam tanquam directè intentum & ordinatum, ut per illud majori cæcitate præcedens peccatum puniatur.*

Similia poſſent adferri, quæ à multis tribuuntur D. Auguſtino, qualis ſunt 75. propoſitiones damnatæ à duobus Pontificibus, quarum pleraſque dicebant earum Authores eſſe D. Auguſtini. Et ſi verum eſt, hæc eſſe D. Auguſtini, nihil ſanè periculi, ſi in quibuſdam receditur à D. Auguſtino. Quamquàm mihi ſatis certum ſit, D. Auguſtinum nihil horum ſentire. Quamvis enim obſcurè loquatur, ſi quis tamen ſcopum ejus ſpectet, ac alia conſideret, non erit admodum difficile oſtendere, Auguſtinum hæc non ſentire, & ubi aliud dicere videretur, eum piè explicandum.

Eodem modo dicendum de propoſitione hac, *electionem abſolutam & efficacem ad gloriam eſſe ex præviſis meritis*, D. Auguſtino non repugnare; quia D. Auguſtinus prædeſtinationem vocat, non præparationem gloriæ, ſed *gratiæ, qua certiſſime liberantur quicumque liberantur*, & hanc oſtendimus eſſe ex nullis præviſis meritis, ſed ex voluntate ſola Dei: cui nullo modo repugnat, *electionem abſolutam ad gloriam eſſe ex præviſis meritis*, ut infra ex Ruardo oſtendemus.

Non ergo oportebat ita generatim nos traducere, quaſi D. Auguſtini doctrinam de gratia & prædeſtinatione, quam contra Pelagium tradidiſſet, nitamur evertere: hoc enim falſiſſimum eſt, nam nos illam ad unguem in omnibus iis, quæ ad gratiam & prædeſtinationem pertinent, ſumus ſecuti, ut ex iiſdem propoſitionibus & reſponſionibus ad cenſuras patebit. Cum enim omnia hinc inde collecta ſint ex noſtris lectionibus, quæ aliquo modo videbantur eſſe contra D. Auguſtinum; cum oſtendero, ne hæc quidem D. Auguſtino adverſari, ſed ex intima ejus doctrina deprompta eſſe, patebit, doctrinam noſtram D. Auguſt. ſententiam non evertere.

Itaque de intelligentia D. Auguſtini

in-

inter nos controverſia eſt, non autem an Auguſtinus ſit ſequendus. Sed quid, quæſo, periculi eſt, ſi in aliqua particula, cùm plurimas quæſtiones iſta materia complectatur, à D. Auguſtino recedatur? v. g. ſi ſentiam, *prædeſtinationem eſſe factam ante præviſum peccatum originis* cum D. Thoma, Soto, Alexandro, aliiſque pluribus; quod tamen eſt contra D. Auguſtinum. An ideo doctrina mea debebit eſſe ſuſpecta, quia nimirum in aliqua quæſtione pertinente ad materiam de prædeſtinatione, recedo ab Auguſtino, quem Cæleſtinus dicit non tantùm neceſſarium modum non exceſſiſſe, ſed etiam inter optimos Magiſtros à ſuis prædeceſſoribus habitum, nec ullo unquam ſiniſtræ ſuſpicionis rumore aſperſum &c. Quaſi vero D. Thomæ doctrina non ſit etiam luculentiſſimis teſtimoniis Summorum Pontificum & præclariſſimarum Univerſitatum commendata: ergo nequid à D. Thoma licebit in aliqua quæſtiuncula recedere. Et quia Cæleſtini elogium de D. Auguſtino adfertur, quaſi propterea ab Auguſtino in nullo liceat diſſentire, legatur quod habet Cæleſtinus in fine illius epiſtolæ: *profundiores vero*, ait, *difficilioreſq; partes occurrentium quæ-*

ſtionum, quas latius tractarunt, qui hæretici reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere. Ubi apertè ait, ſe de abſtruſioribus, quæ inter diſputandum cum hæreticis obiter ſolent occurrere, nec neceſſariæ ſunt ad hæreſim confutandam, nolle quidquam definire; atqui nihil facit ad refutandam hæreſim Pelagii, ſive dicas in primo ſigno rationis omnes ſalvandos eſſe efficaci & abſolutâ voluntate, & immediatâ electione electos ad gloriam ante omnem prævisionem & conditionatum, & in 2. inſtanti ad gratiam prædeſtinationis; ſive dicas, in primo ſigno ad gratiam prædeſtinationis, in ſecundo ad gloriam electos eſſe, ut patet cuilibet mediocriter in Theologicis dogmatibus verſato. Imò faciliùs refutabis hæreſes noſtri temporis, ſi teneas talem electionem efficacem & immediatam ad gloriam, ante omnem præviſionem factam non eſſe. Atqui hoc totum eſt, in quo viſus ſum à D. Auguſtino recedere; nam in aliis omnibus ex profeſſo D. Aug. ſecutus ſum. De qua quæſtione cùm rogarem quemdam M. N. qui contra nos ſcripſerat, quid Facultas ſentiret, reſpondit ſe neſcire, & exceptâ quæſtione de gratia efficaci non

poſſe

poſſe inter nos magnam controverſiam eſſe. Hæc dico, non quòd in hac quæſtiuncula à D. Aug. diſſentiam (quia penitus me ſecundùm ipſius doctrinam docuiſſe puto, ut aſſertiones iſtæ, quæ contra D. Auguſtinum eſſe putantur, & meæ reſponſiones declarabunt) ſed ut res ſuis momentis æſtimetur, nec ita generatim clametur, everti doctrinam Auguſtini.

Quintò, dicitur nos renovare ſententias Maſſilienſium, & aliorum per Gallias D. Auguſtini doctrinæ obſtrepentium; item Catharini & Pighii, deinde ponuntur ſententiæ illorum. Ad quod reſpondeo, hoc falſò nobis objici. Imprimis quod attinet ad ſententiam Catharini, qui illum legit, facilè videt, quam longè ab ejus ſententia abſimus, quod etiam in meis lectionibus oſtendi: ipſe enim ait prædeſtinationem abſolutam eſſe & efficacem voluntatem dandi gloriam: nos cùm Auguſtino dicimus, *eſſe præparationem gratiæ.* Secundò, vult hanc voluntatem eſſe priorem ratione, quàm ſit voluntas dandi gratiam: nos contra probabiliter putamus, voluntatem dandi gratiam priorem debere cenſeri & abſolutâ & efficaci voluntate dandi gloriam.

Tertiò ipſe vult multos ſalvari non præ-
deſtinatos; nos contra nullum non præ-
deſtinatum ſalvari. Quartò, ipſe ponit
duos ordines ſalvandorum, prædeſtinato-
rum & non prædeſtinatorum; & nos
omnes ſalvandos dicimus eſſe prædeſtina-
tos. In hoc ſolum Catharino conſenti-
mus, quòd ipſe velit, multos electos ad
gloriam eſſe ex præviſione operum, quæ
per gratiam Dei erant futura, quod nos
putamus de omnibus dicendum. Item
putat omnibus dari auxilium ſufficiens,
ad quæ etiam adduximus Albertum Pi-
ghium, quod non debet nobis vitio verti,
nam in iſtis nemo unquam dixit illos er-
raſſe, nam plurimos alios citari, qui
idem ſentiunt. Quod autem ad primam
Maſſilienſium querelam attinet, nihil mi-
hi unquam tale in mentem venit, nec
propoſitiones collectæ aliquid præ ſe fe-
runt.

Ad ſecundam, nunquam dixi gratiam
Dei, quæ prævenit noſtra merita, dari
ex aliquo in nobis præviſo merito, aut
prædeſtinationem eſſe ex præſcientia ali-
quorum quæ in nobis ſunt; neque dixi
hoc aliquem Patrem ſentire, quod eſt
apertè hæreticum: imò longâ quæſtione
docui contrarium. Neque huic repug-

nat, quòd doceamus prædeſtinationem præſupponere præſcientiam conditionatam, illam id apertè docet Auguſtinus. Nec refert, quòd locum illum *Iacob dilexi, Eſau odio habui* aliter expoſuerim, quam D. Auguſtinus; ſecutus ſum enim expoſitionem faciliorem, & quæ magis favet libero arbitrio; idque propter hæreticos hujus temporis, ſecutus in eo Patres Græcos & Ambroſium & Hieronymum, qui ob eandem hæreſim quæ modò viget & tunc vigebat, locum illum ita expoſuerunt; quæ tamen expoſitio non repugnat Auguſtino, ut ſatis oſtendit Driedo & Tapperus art. 7.

Ad tertiam, ſatis fuſè oſtendi prædeſtinationem & gratiam prævenientem concordare optimè libero arbitrio. Si tamen talis inducatur prædeſtinatio, qua abſolutâ voluntate ante omnem præſcientiam etiam conditionatam omnes actiones humanæ cum omnibus ſuis circumſtantijs ſint præordinatæ, qualem inducit Calvinus, dixi difficile eſſe ſalvare liberum arbitrium; ex hoc enim principio potiſſimum tollit Calvinus liberum arbitrium, & ſanè mihi difficile videtur ei reſpondere. Hæc etiam ſententia facilè homines ad torporem & deſperationem ina-

impelleret, & parum præceptis & exhortationibus videtur loci relinquere. Dico tamen ſententiam hanc non eſſe D. Auguſtini, ſed Calvini, qui eam Auguſtino falsò imponit, qui etiam multùm laborat, ut oſtendat homines non in deſperationem impellere, & exhortationes & comminationes & præcepta locum habere.

Ad 5. & 6. nihil eſt in propoſitionibus iſtis aut ſcriptis noſtris, quod vel ſpeciem habeat cum iſtis ſententiis.

Ad 11. ſolùm dicimus, illam ſententiam quæ aſſerit *non omnibus dari auxilium ſufficiens*, non videri ſatis conſentaneam eſſe Scripturis quæ dicunt pro omnibus mortuum eſſe omnium Redemptorem.

Ad 12. de parvulis, nihil, opinor, ſentimus contra Auguſtinum, cùm hæc ita ſe habere, quivis qui noſtra diligenter legent, facilè perſpicere poſſint. Mirum eſt, nobis has ſententias objici, & aſſeri nulla ferè alia in ſcriptis noſtris dictatiſque reperiri. Quod ſi ita eſt, mirum eſt, à MM. Noſtris in hac cenſura non eſſe poſita & demonſtrata, cùm tamen hæc ſint valde offenſiva. Sed ſatis patet tum ex lectionibus noſtris, tum ex ipſis propoſitionibus & meis reſponſionibus, falsò hæc nobis imponi.

Poſt

Poſt hæc ponuntur aliæ ſententiæ Maſſilienſium, ad quas videantur noſtræ propè accedere. Itaque ne longior ſim, quia hoc in genere tantum dicitur, nec adferuntur noſtræ propoſitiones, quæ his videantur affines, reſpondebo ſuis locis, ubi etiam oſtendam, quomodo fides ſit donum Dei, & nihil eorum ſequi, quæ in quarta cauſa colliguntur.

Quod autem in concluſione nos hortatur, ut ſententiam Bellarmini ſequamur, id omninò facimus; nam hanc totam ferè de prædeſtinatione doctrinam ab illius ore in familiari colloquio accepi. Nec refert, quod ille hic aliter docuerit, nam tunc non ſatis examinaverat D. Auguſtinum, poſtea enim re diligentius perpenſa, & D. Auguſtino diligentius & accuratius expenſo, & hæreticorum rationibus conſideratis, ſibi eam ſententiam conceſſit, quam nos modò tenemus, quamque in Gallia Pariſiis, in Hiſpania Salamanticæ, Compluti, & Conimbricæ, ubi ſunt & viri doctiſſimi, & viget inquiſitio, traditam ſcimus.

Nihil ergo metuendum eſt, ne à nobis prava doctrina dimanet, cum ea doceamus, quæ Romæ in conſpectu Sedis Apoſtolicæ, & in tot aliis Univerſitatibus

Legan
Bellar
lectio
Lovan
ctæ a
1573
ca Q
109.
d. 2
de au
& gr
fica
docet
nos.
etiam
mult
ſius
Rom

tibus, ubi viget Sacroſancta Inquiſitio, ſine ulla contradictione aut cujuſquam offenſa ſint in lectionibus publicis tradita. Quod cum à quibuſdam Magiſtris NN. non ignoretur, mirum eſt, quomodo dogmata noſtra judicentur *periculoſa* & *offenſiva*.

RESPONSIO

Ad Cenſuram aſſertionum de Sacra Scriptura.

IN his tribus propoſitionibus (eas vide in cenſura) non poteſt eſſe difficultas, ſi explicentur, ſicut alias à nobis explicatæ ſunt. Nam quod attinet ad duas priores, non negamus Authores Hagiographos ex peculiari inſpiratione Spiritus Sancti, & directione & aſſiſtentia ſcripſiſſe: ſed hoc tantum dicimus, non fuiſſe neceſſarium, ut ad ſingulas ſententias & ſingula verba habuerint novam & poſitivam inſpirationem ex parte illius; id eſt, novam illuminationem, qua novo modo cognoſcerent veritates quas ſcriberent, & viderent verba quibus ſpiritus S. volebat eos uti; ſed ſuffeciſſe ut Spiritus S. peculiari modo illos excitaret, ac im-

impelleret ad ſcribendum ea, quæ audierant, vel viderant, vel alio modo cognoverant; & ſimul iis ad ſingulas ſententias & verba aſſiſteret, & ubi opus eſſet dirigeret.

Hæc ſententia viſa eſt mihi probabilior quam contraria: primo quia Evangeliſtæ ac alii Scriptores Hagiographi ad ea ſcribenda quæ viderant, vel ab infallibilibus teſtibus audierant, non videntur eguiſſe nova revelatione illarum virtutum, ſicut Paulus, qui non ab hominibus, ſed per revelationem Jeſu Chriſti breviſſimo tempore didicit Evangelicam Doctrinam. Joannes enim ſcripſit, quæ vidit, 1. Joan. 1. ut clare patet. Similiter Matthæus. Marcus autem, quæ audivit à Petro, ut refert D. Hieron. *de viris illuſtribus in Marco*, & Irenæus *lib. 3. cont. hæreſ. c.* 1. & alii Patres. Lucas etiam quæ acceperat ab ipſis qui viderant, ut teſtatur initio Evangelii. Sic multa crediderim eſſe ſcripta & ab aliis Hiſtoricis Sacris quæ ipſi viderant, vel audierant, vel alio modo certo cognoverant abſque nova revelatione.

Ratio eſt, quia Spiritus S. utitur inſtrumentis idoneis, prout ea invenit, & ſicut in neceſſariis non deeſt, ita

& in ſufficientibus non redundat; atqui tales, qui jam aliquid certò cognoſcunt, & habent eloquendi facultatem, ſunt idonei ad illa ſcribenda, ergo ſi Spiritus S. velit his uti inſtrumentis & amanuenſibus, non eſt neceſſe, ut ipſis rurſus de novo revelet res iſtas, ſed ſatis eſt, ut eligat eos in ſuos amanuenſes, & excitet peculiari inſtinctu ad ſcribenda ea, quæ jam antea cognoverant, ac ſimul illis ſpecialiſſimo modo aſſiſtat in omnibus verbis & ſententiis, ut ne minimum quidem errorem committere poſſint.

Quod ut meliùs explicetur, ſciendum eſt, aliquid duobus modis poſſe ſcribi ex inſpiratione Spiritus Sancti.

Primò, ut Spiritus S. novâ inſpiratione ſupernaturali oſtendat ſingulas res ſcribendas & ſingula verba: & ſic ſcripſerunt Prophetæ ſuas Prophetias, ut patet Jeremiæ 36. qui tantâ facilitate Prophetias dictabat, ut eas legere videretur.

Secundò, ut Spiritus S. peculiari inſtinctu excitet & impellat eum quem delegit, ad ſcribenda ea quæ antea vidit, audivit, vel alio modo cognovit, & ſimul aſſiſtat in ſingulis verbis & ſententiis. Et teneo probabiliter ſcripſiſſe multa Evangeliſtas & Hiſtoricos Hagiographos,

ita

ita ut non fuerit opus illis nova & poſitivâ inſpiratione & illuminatione circa ſingula. Et eo magis inducor in hanc ſententiam, quod hæretici hujus temporis ex contrario fundamento, id eſt eorum qui putant omnia verba Spiritus S poſitivâ & novâ inſpiratione dictata, conantur probare libros Machabæorum non eſſe Scripturam Canonicam; quia lib. 2. cap. 2. Author dicit ſe abbreviatorem Jaſonis Cyrenei, & in hoc opere breviando negotium plenum vigiliarum & ſudoris aſſumpſiſſe: & cap. ult. veniam petit, ſi minus convenienter hiſtoriæ ſcripſit. Unde concludunt hunc librum non eſſe Scripturam Canonicam, quia Scriptura Canonica debet eſſe ſine humana induſtria à Spiritu S. immediatè dictata & revelata. Affert hoc argumentum Calvinus in Antidoto Conc. Trid.: ad quod Catholici reſpondent, ſicut jam dixi, non eſſe neceſſe, ut Spiritus S. ſingulas ſententias & ſingula verba & verborum ſententiarumque ordinem & ſtructuram per novam illuminationem & internam locutionem dictet: nam ſi ita eſſet, non diceret ſe S. Lucas ſcribere ea, quæ ab Apoſtolis acceperat, qui viderant, ſed quæ acceperat à Spiritu S. qui ſingula de novo dicta-

dictauerat, nec Patres dicerent S. Marcum ſcripſiſſe ea quæ acceperat à S. Petro, ſed quæ à Spiritu S. nec rectè diceret Author 2. Machab. ſe accepiſſe negotium plenum vigiliarum & ſudoris, quia parum eſt laborandum ei, cui penitus omnia dictantur, ut tantùm habeat merum officium ſcribendi: nec veniam rectè peteret, ſi minùs convenienter hiſtoriæ dixiſſet; nam hoc videtur redundare in injuriam Spiritus S. qui omnia ita dictaverat; Sed ſatis eſt in hiſtoriis ſacris, ut Deus peculiari inſtinctu impellat eos ad ſcribendum ea quæ antea noverant, ac ſimul infallibiter illis ad omnia aſſiſtat; per hæc enim non tollitur labor revocandi in memoriam audita, viſa, & lecta; dirigendi omnia in ordinem, & aptis verbis, prout judicaverit eſſe convenientius, explicandi: unde & fit, ut Scriptores eloquentiores eloquentiùs, minùs facundi minus ornatè ſcripſerint; utitur enim S. Spiritus idoneis inſtrumentis prout ea invenerit.

Tertia propoſitio, ſemotâ parentheſi, videtur mihi eſſe omninò certa, niſi ſit quæſtio de nomine; ponamus enim aliquam piam hiſtoriam ab aliquo pio viro qui eam optimè nôrit, ex inſtinctu Spi-

ritus-

ritus S. ſcriptam, qui ſine ulla Spiritus S. aſſiſtentia ſingulari verum ſcripturus & nullum commiſſurus errorem, ſi Spiritus S. poſtea per aliquem Prophetam vel aliter teſtetur, omnia, quæ ibi ſcripta ſunt, vera ac ſalutaria eſſe, non video, cur talis liber non ſit habiturus authoritatem Scripturæ Sacræ, cùm eandem habeat rationem credendi, quam alia quævis Prophetia, nempe authoritatem Divinam; ejuſdem enim authoritatis eſt epiſtola ab ipſo Rege dictata, & ab alio dictata ab ipſo tamen Rege ſubſcripta. Et hoc dico, non quòd aſſeram, hunc modum in Scripturis inveniri, ſed tantùm loquor de poſſibili, unde & expoſitio eſt conditionalis; ſi enim Deus voluiſſet, potuiſſet hunc modum in aliqua Scripturæ parte ſervare, quod non implicat contradictionem, ac illa eſſet tam infallibilis authoritas quàm alia.

Ex his patet, quàm longè diſtet hæc ſententia ab errore Anomæorum ac Eraſmi, qui volebant Apoſtolos interdum ut homines locutos, id eſt, aliquando humano more erraſſe ac lapſos eſſe memoriâ; ita enim reſpondebant Anomæi, cùm eis aliquid ex Apoſtolo vel Prophetis objiceretur, Apoſtolus ibi ut homo eſt lo-

cutus. Et cur objicis nobis V. Teſtamentum? Nos enim dicimus, omnes Scripturæ partes eſſe infallibilis veritatis & eſſe à Spiritu S. vel novâ inſpiratione revelante, vel peculiari inſtinctu excitante & aſſiſtente ad ſingula verba & ſententias, & nec minimum quidem poſſe eſſe in iis errorem; quia is redundaret in Spiritum S. (ut fusè oſtendi aliàs) & totius Scripturæ authoritas concideret; etiamſi non ſit neceſſarium, ut Spiritus S. novo modo ſingula inſpiraverit poſitivè hominem illuminando.

Unde ad primum teſtimonium reſp. Non dicit Concilium Trid. loco citato, totam Scripturam eſſe Dei verbum à Spiritu S. dictatum; fateor tamen eſſe Dei verbum & à Deo dictatum modo ſuprà explicato: quia ſcilicet vel à Deo novo modo illuminante, vel inſpirante dictatum, vel excitante & infallibiliter aſſiſtente ſcriptum: & hi duo modi de facto reperiuntur in ſcripturis.

Ad teſtimonium Petri reſp. loquitur de Prophetiis, quæ ſine dubio poſitivè per novam illuminationem inſpirantur.

Ad teſtimonium Pauli: Scriptura dicitur divinitus inſpirata, quia vel poſitivâ & novâ Spiritus S. inſpiratione & il-

lu-

luminatione ſcripta (qualis ſine dubio eſt major Scripturæ pars) vel peculiari inſtinctu Spiritus S. excitantis; ut ſcriberent ea; quæ vel revelatione, vel narratione vel experientiâ noverant, & ad ſingula peculiariter aſſiſtentis.

Ad ultimum dico, linguas & manus Scriptorum fuiſſe calamos Spiritus Sancti non tamen eodem modo omnium; aliter enim Prophetarum, quibus ita omnia dictabantur, ut ſolum laborem ſcribendi haberent; aliter Hiſtoricorum Sacrorum, qui debebant etiam induſtriam ſuam adhibere.

RESPONSIO

Ad Cenſuram primæ aſſertionis.

DEus præſcit, quid homo quavis excitatione & motione poſitâ ſit facturus: quâ præſcientiâ poſitâ Deus aliquos ſic vocat, ſicut videt eos ſecuturos, talia beneficia præparat, qualia videt eos non rejecturos; & talium beneficiorum præparatio eſt prædeſtinatio. Docet hoc apertè Aug. lib. 1. ad Simp. q. 2. Cujus miſeretur, ſic eum vocat, quemadmodum videt congruere illi, ut non reſpuat

vocantem. Similia multa habet q. eadem. Sed reſpondent quidam MM Noſtri, illum librum eſſe ſcriptum ab Auguſtino juvene ante exortam hæreſim Pelagianam: poſtea autem ſatis ſeſe correxiſſe in libris, quos ſcripſit poſt hæreſim illam ſenex. Sed non videtur ita dicendum: primò, quia ita ſolvit Calvinus, cum aliquid ei in hac materia ex lib. D. Auguſtini de libero arb. vel ex qq. ad Simplicianum adfertur: nam lib. de prædeſt. pag. 33. ait, *ne in unâ quidem ſyllaba ab Auguſtino de prædeſtinatione differimus; ubi autem contra nos aliquid ſcripſiſſe videtur, juventutis hoc tempore fuit: quin totus Philoſophiæ intentus Manichæorum hæreſes refellit: quæ autem pro hac noſtra opinione ſcripſit, ſenex, religioſus, & Spiritu S. plenus addidit contra Pelagianos &c.* Hæc Calvinus. Videatur ergo, utri magis D. Auguſtini authoritatem contra hæreticos labefactent, nos qui illum totum recipimus, an illi qui aliquos libros, qui maximè valent contra hæreticos, tamquam non rectè ibi docuerit Auguſtinus, rejiciunt.

Sed Auguſtinum non aliter docuiſſe juvenem & aliter ſenem in hac quæſtione,

ne, patet ex cap. 14. de bono perſ. ubi ait, ineſſe quibuſdam Divinum naturaliter munus intelligentiæ, ut ſi apta ſuis mentibus vel ſigna videant, vel audiant verba, convertantur ad fidem: & hanc dicit eſſe gratiam prædeſtinationis, quæ non datur reprobis. Unde rectè dicitur, prædeſtinationem præſupponere præſcientiam conditionatam & certitudinem illam, quâ certum eſt, hunc hominem prædeſtinatum ſalvandum, non pendere ex mera prædeſtinatione, ſicut dicit Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 21. §. 5. & 9. ſed ex illa præſcientia conditionata, quâ certum eſt apud Deum, eum ſecuturum, qui tali vel tali modo tractus fuerit: atqui ſemotâ hâc præſcientiâ, difficillimè explicatur, quomodo ſalvetur liberum arbitrium in prædeſtinatione; ut fatentur illi, qui contra Calvinum de hac materia ſcripſerunt: Unde hæc explicatio non eſt Maſſilienſium; non enim dico, electionem ad gratiam prædeſtinationis eſſe ex præſcientia meritorum: imò hoc prolixè refutavi; quòd enim Deus voluit huic dare talem gratiam, cum qua prævidet eum ſalvandum, ſi illam acceperit, ex nulla meritorum præſcientia eſt, ſed ex mera & gratuita

Dei voluntate, qui potuiſſet illi dare gratiam aliam, cum qua prævidebat eum non ſalvandum.

Neque verò conditionata præſcientia, de qua loquimur, eſt illa, quâ Deus prædeſtinet hominem; ſi gratiam ejus accipere voluerit, ut DD. Cenſores interpretantur; quia Tyrii illi & Sidonii non erant prædeſtinati, qui tamen gratiam illam acceptaſſent ſi illis data fuiſſet, ut Dominus ait; ſed eſt ea, quâ novit infinitos modos, quibus ipſe liberum hominis arbitrium regere & movere & eidem ſuadere poſſit, & quid homo ſecundùm unamquamque excitationem, ſuaſionem & motionem ſit facturus: v. g. eſt ea præſcientia, quâ Deus præſciebat Tyrios & Sidonios pænitentiam acturos; ſi ejus ſigna vidiſſent & prædicationem audiviſſent: accedente autem ad hanc ſcientiam ſive præſcientiam Divinâ voluntate, quâ velit uti hoc modo providentiæ, cum quo videt hunc hominem ſalvandum, jam eſt prædeſtinatio; & illa præſcientia conditionata fit abſoluta, & per illam cognoſcit Deus, & quid ipſe ſit facturus & quid homo ſit facturus. Unde non eſt diverſa præſcientia conditionata, & præſcientia, quâ præſcit, quid homo, &

quid

quid ipſe facturus ſit, ſed eadem, quæ ut prior Divinæ voluntatis ordinatione eſt præſcientia conditionata & quaſi ſimplex intelligentia; ut poſterior, eſt ſcientia viſionis. Non ergo pervertimus D. Auguſtini definitionem, ſed eam explicamus, dum dicimus prædeſtinatorum ſalutem eſſe certam apud Deum non ex mera præordinatione, ſicut creatio mundi futura; ſed ex tali præordinatione, quæ ſupponat præſcientiam conditionatam, atque adeo fundamentaliter eſt certa ex præſcientia conditionata. Unde etiam verum eſt, prædeſtinatum certiſſimè liberari, quia Deus decrevit illum liberare; ſed hoc decretum præſupponit ulteriùs illam præſcientiam conditionatam. Hanc doctrinam habet Driedo de cap. & lib. fol. 133, & Ruard. a. 7. fol. 326., & 347. Ex his patet reſponſio ad teſtimonia citata in Cenſura: non enim dicimus, Deum requirere aliquam conditionem ab homine, ut illum prædeſtinet; nam prædeſtinat omninò gratis, ut dictum eſt.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis ſecundæ.

HÆc quæſtio, utrum detur omnibus ſufficiens auxilium, eo ſenſu & modo à nobis tractata eſt, quo ab iis Authoribus, qui de hac re ſcripſerunt, non ſolùm ſuperioribus ſæculis, ſed etiam hâc tempeſtate contra hæreticos, ut Roffenſis a. 36. Soto lib. 1. de nat. & gra, cap. 15. & ſeq. Driedo de cap. & redemp. generis humani Tract. 4. cap. 20. & Tract. 5. cap. 1. & ſeqq. Ruard. a. 7. Vega in Trid. lib. 13. Omitto antiquos, ut Hallenſem, Albertum, Bonaventuram, Scotum, & D. Thomam, & alios complures, qui eodem modo loquuntur, & idem nobiſcum ſentiunt. Unde illum modum loquendi non puto reprobandum, & multò minùs ipſam ſententiam, quamvis Magiſtris NN. diſpliceat, eo quod videatur illis contra D. Auguſtinum eſſe: aliud enim eſt ſufficiens, ut quis immediatè poſſit credere vel converti, ita ut nihil aliud requiratur, quod non detur omnibus, neque de eo poteſt inter Catholicos eſſe quæ-

ſtio

ſtio; aliud, quo quis ad Juſtitiam ſenſim & ad fidem pervenire poſſit, ſi ipſe ſibi non deeſſet: & hoc dicimus ex parte Dei nemini ratione utenti deeſſe; paratus eſt enim Deus omnes ſufficienter juvare, ut probatum eſt ex Scripturâ & Patribus, ut à peccatis abſtineant & reſipiſcant, ſi ſibi ipſis non deſint: & hæc eſt ſententia omnium ferè Catholicorum.

Ad Cenſuram Aſſertionis tertiæ.

Auth 3. aſ Utitu arg. a. 7. 356 12.i Trid.

COncilium Trid. eſt pro nobis; dicit enim in genere, *Deus impoſſibilia non jubet*: eſt autem aliquid duobus modis poſſibile.

Primò, immediatè, ut cùm noſtris viribus id poſſumus, vel jam actu habemus ſatis auxilii; & ſic præcepta non ſunt omnibus poſſibilia: neque de hoc poteſt apud Catholicos eſſe quæſtio.

Secundò, mediatè, ut cùm quis non poteſt, niſi petat auxilium ab alio, quod poteſt petere, & petenti non denegabitur: ſicut poſſum vincere hoſtem, ſi petam auxilium à Rege: & utrumque modum indicat Concilium. Itaque etiamſi quod actu habent, non ſit ſufficiens, tamen

id quod poſſunt impetrare, eſt ſufficiens. Unde rectè dicuntur habere ſufficiens auxilium, non quidem in actu ſecundo, ſed ex parte Dei & in actu primo, ſicuti ſæpe explicuimus. Similiter aliquis dicitur poſſe non tantùm id quod per ſe poteſt, ſed etiam quod amicorum auxilio poteſt, qui illum parati ſunt juvare. Et quia verba Concilii ſumpta ſunt ex Aug. patet ipſum nobis non adverſari.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis quartæ.

lores 1. Aug. ad ...lic. d. a. 326. 17. & oncor. prb. p.

FEceram tale argumentum : *Deus omnes vocat ad pœnitentiam, ergò paratus eſt omnibus dare auxilium, ut poſſint pœnitere.* Deinde poſueram ſolutionem hæreticorum dicentium, *quòd Deus quidem omnes vocat, ſed non ex propoſito, ut convertantur, ut nihil habeant excuſationis &c.* Ad quod reſpondi: ſi Deus ita illos vocaret, deluſoriè illos vocaret, ut quidam Doctor Pariſien. contra Calvinum rectè reſpondet. Juxta tamen D. Auguſtini explicationem, concedo, non omnes vocari ſecundùm propoſitum, id eſt eo modo, quo ſciebat illos Deus convertendos;

ſic

ſic enim videtur intelligendus Auguſtinus, ut colligitur ex q. 2. lib. 1. ad Simp. ubi idem eſt Auguſtino *miſereri* & *vocare ſecundùm propoſitum* (nempe miſerendi). *Miſereri* autem eſt *ita vocare ſicut novit ſecutarum*. Unde patet, hoc non eſſe vocare ſecundùm propoſitum hominis, ſed ſecundùm propoſitum Dei, cujus eſt miſereri.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis quintæ.

Argumentum illud meo judicio optimè concludit quod volo, nempe Deum ex parte ſua paratum eſſe omnibus dare gratiam Baptiſmi, quia jubet omnes baptizari, & omnes obligat ad Baptiſmum: non enim ob aliam cauſam jubet omnes baptizari, quàm ut eis det gratiam Baptiſmi. Mirum eſt, quomodo DD. Cenſores trahant hæc ad voluntatem beneplaciti, cùm apertè ſignificetur contrarium, cùm dicitur, vult quantùm in ipſo eſt; quod idem eſt, acſi dicerem: eſt paratus ex parte ſua; ſicut cùm dicimus: Deus, quantùm in ipſo eſt, cupit omnes ſalvari. Similibus locutionibus plena eſt Scriptura.

 Nemini

Nemini autem, qui terminos intelligit, dubium eſſe poteſt, quin Deus non velit omnes voluntate beneplaciti baptizari aut omnibus dare gratiam: non tamen ideò dicendum videtur, quòd Deus nolit aliquibus dare gratiam Baptiſmi & baptizari: nam quòd ex Actis adfertur, non ideò prohibuit Spiritus S. Paulum & Silam in Aſia loqui & Bethinia verbum Dei, quòd nollet etiam tunc eos baptizari; nam ſi quis ex illis locis ad Apoſtolos veniſſet, certè Deus non prohibuiſſet; ſed quia Apoſtoli non poterant ſimul omnes Provincias convertere, ſed aliam poſt aliam: deinde quia, ut ait Chriſoſt. & Theoph. Aſia reſervabatur Ioanni, & Bethinia Lucæ.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis ſextæ.

Soto
nat.
c.
hom
gent.
cap.
Ru-
I.
34
de
hr.c
ried.

ILlum locum; *Deus vult omnes ſalvos fieri & ad cognitionem veritatis venire*, expoſui de voluntate antecedente, ut ſenſus ſit, Deum eſſe paratum omnibus dare ſufficientia auxilia, ut poſſint ſalvari; & eam expoſitionem confirmavi ex Patribus; refutavi autem expoſitionem

D. Auguſtini, quâ paſſim utitur contra Pelagianos, & quâ eludunt iſtum locum hæretici hujus temporis, nempe, vult omnes ſalvos fieri, qui ſalvi fiunt: D. etiam Auguſtinus habet duas alias. Una eſt, vult ex omni hominum genere aliquos ſalvos fieri: altera eſt, facit nos velle, ut omnes ſalvi fiant, quas non duxi refutandas, quia in eo omnes conveniunt, quòd noluit hanc Dei voluntatem pertinere ad omnes. Itaque ſufficienter manent refutatæ rationibus illis, quibus improbatur prima.

Mirum verò eſt, DD. Cenſores hanc expoſitionem meam de voluntate antecedente improbare, quaſi periculoſo dogmati viam ſternat, cùm ſit D. Ambroſii & omnium Græcorum, partim in hunc locum, partim in id. Joan. 1. *qui illuminat omnem hominem.* Videatur Damaſcenus lib. 2. de Fide cap. 29. Imò & ipſius Auguſtini de ſpir. & litt. cap. 33. & ad articulos ſibi falsò impoſitos a. 2. & 3. & D. Proſp. lib. 2. de vocat. gent. cap. 31. ut oſtendi in lectionibus. Vide etiam Ruard. a. 2. pag. 334.

RES-

Ad Cenſuram Aſſertionis ſeptimæ.

SI ita eſſent aliqui rejecti à Deo, ut nunquam eis daretur ullum auxilium, quo poſſent ſenſim reſurgere à peccatis, certè non videretur Chriſtus eorum eſſe Redemptor: eſſe enim omnium hominum Redemptorem, non tantum eſt obtuliſſe pretium, quod eſſet ſufficiens pro omnibus; quia ſi tantùm obtuliſſet ſanguinem ſuum pro uno, excluſis cæteris omnibus, certè pretium eſſet ſufficiens pro omnibus, tamen non diceretur omnium Redemptor, quia non eſſet oblatum pro omnibus. Ut ergò dicatur omnium Redemptor, requiritur, ut pretium obtulerit pro omnibus, petendo à Deo, ut omnibus præpararentur auxilia. Unde cùm ipſe ſemper ſit exauditus pro ſua reverentia, non uidetur dubitandum, quin Deus propter Chriſti meritum ſit paratus omnes ſufficienter juvare, quantùm ſuavis diſpoſitio rerum permittit. Nihil hìc video, quod ſpeciem habeat ſententiæ Maſſilienſium: illi enim volebant, propter Chriſtum omnibus eſſe ita præparatam gratiam, ut ſinguli eam libero

bero arbitrio nudo & non præparato poſſent apprehendere, quod nos deteſtamur; ſed tantùm dicimus, propter Chriſtum paratum auxilium ſufficiens, ita ut pro loco & tempore à Deo excitentur, quibus excitationibus eorum voluntas præparata poſſit cum Dei adjutorio, quod illi non deerit, ulteriùs aggredi, ſi velit.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis octavæ & nonæ.

Quia de gratia excitante & adjuvante breviſſimè tantùm in lectionibus egi, quantum ſatis eſſe videbatur ad unius incidentis objectiunculæ ſolutionem; ideo iterum fuſiùs meam ſententiam explicabo, quamquam eam privatim quibuſdam Magiſtris Noſtris ſatis mihi viſus ſum aperuiſſe, quibus tamen nihil dixi de velleitatibus aut ſcrupulis conſcientiæ, quorum ipſi mentionem ſæpe faciunt; quànquàm & iſta ad gratiam excitantem pertineant: in hac enim quæſtione latet præcipua cauſa noſtræ diſſenſionis. Et quoniam hæ duæ aſſertiones avulſæ ſunt â propriis locis,

ponam eas, ſicuti in lectionibus noſtr dictatæ habentur.

Dixi ergo, fieri poſſe, & de facto ſæpe fieri, ut quis habeat auxilium præveniens omnino ſufficiens in genere auxilii prævenientis ad converſionem, & tamen non convertatur, quia non vult, & tunc deeſſe auxilium concomitans in actu ſecundo, quod tamen aderat in actu primo, eo fere modo, quo concurſus generalis adeſt habenti potentiam videndi, cum non videt. Unde talem habere omnia requiſita antecedenter ad converſionem; ac proinde totam rationem, cur non convertatur, eſſe quod non vult. Hinc intuli, ut peccator poſſit converti, non eſſe neceſſarium, ut accipiat utrumque auxilium, ſcilicet præveniens & concomitans in actu ſecundo; ſed ſatis eſſe, ut accipiat auxilium præveniens in actu primo, nempe ſufficiens, & tunc dicuntur habere auxilium ſufficiens ad converſionem. Deinde addidi: ut tamen actu convertatur, requiritur concurſus Dei ſupernaturalis, qui ita eſt præparatus peccatori ſufficienter diſpoſito & excitato, ſicut concurſus generalis præparatus eſt v. g. potentiæ videndi. Ita docet Ruardus a. 7. pag. 307. & ſeq. Hanc doctrinam putant

tant DD. Cenſores repugnare Scripturis, & D. Auguſtino, evertereque gratiam Chriſti: ego vero puto, eam conſentaneam eſſe Scripturis, & D. Auguſtino, & Con. Trid. ſeſſ.6. c.5. & 6. & c. 4. Pro quo notandum eſt Concil. Trid. ſeſ. 6. c. 5, duplicem eſſe gratiam ad converſionem neceſſariam. Una eſt excitans, quæ vel eſt exterior, ſicuti prædicatio miraculoſa, & hoc nullo modo ſufficit, vel interior, ut bonæ inſpirationes, cogitationes, illuminationes intellectus & affectiones, commotiones & complacentiæ, voluntates ad bonum & averſiones à malo, quales homo viribus naturæ non habere poteſt. Quantæ verò hæ debeant eſſe, ut ſint ſufficientes v. g. ad fidem vel ad converſionem, Deus novit. Certum tamen eſt, illas poſſe eſſe ſufficientes & debere eſſe, ut homo poſſit credere & converti.

Altera eſt gratia adjuvans, quæ ut docet Ruard. a. 7. in tribus conſiſtit. Primò in directione intellectus ob ignorantiam & intellectus inſtabilitatem. Secundò in protectione ſeminis Divini præſertim in voluntate, ut illa bona affectio maneat nec eam diabolus auferat vel impediat, ſicut agricola cuſtodit ſemen ſu-

um ab avibus. Tertiò in concurſu & cooperatione ſupernaturali; qui ſimilis eſt concurſui naturali.

His poſitis dico, quando homo ſufficienter eſt excitatus ex parte intellectus & voluntatis v. g. ad fidem vel converſionem Deo interius ſemen ſuum cuſtodiente; poteſt homo liberè credere vel non credere, converti vel non converti, prout voluerit: nec requiritur alia gratia præveniens, quæ faciat eum credere; ſed tantùm requiritur gratia concomitans ſeu concurſus ſupernaturalis. Eſtque hæc aperta ſententia Concilii Trid. Seſ. 6. c. 5. ubi docet, per gratiam excitantem & adjuvantem hominem ſe diſponere ad juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando. Item hominem poſſe illam inſpirationem abjicere. Item cap. 6. dicit, hominem excitatum Divinâ gratiâ & adjutum liberè moveri in Deum. His locis nihil aliud requirit Concilium, niſi gratiam excitantem & adjuvantem, neque requirit præter hoc aliam gratiam quandam, quæ infallibiliter faciat & operetur conſenſum.

Dices, Concilium eam non excludit.

Contra, quia Concilium ponit omnia neceſſaria ad juſtificationem, & ſolùm

requi-

requirit gratiam excitantem & adjuvantem, ergò non requirit illam aliam efficacis præparationis. Item Concilium dicit, hominem excitatum & adjutum in Deum liberè moveri, ergò poſitâ illâ excitatione & auxilio omni, quod prævenit ipſum conſenſum, poteſt non moveri in Deum, ergò falſum eſt requiri quandam efficacem præoperationem Dei in voluntate, quâ poſitâ homo neceſſariò moveatur in Deum, & ſine qua non poſſit de facto moveri in Deum, quia videlicet ſine gratia Chriſti non poteſt.

Reſpondent primò, hominem cum illa gratia Chriſti liberè moveri in Deum, quia libenter & non coactè.

Contrà, quia talem libertatem etiam admittit Calvinus lib. 2. Inſtitut. cap. 2. §. 7. & 8. & tamen damnatur à Concilio. Præterea, quia in Bulla Gregorii XIII. & Pii V. damnatur hæc propoſitio, id: *quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fieri.* Denique Concilium dicit, quòd poſſit illam rejicere, cùm qua poteſt converti. Unde,

Reſpondent ſecundò, gratiam efficacis præoperationis & inoperationis non tollere libertatem & poſſe rejici, quia non tollit ipſam potentiam liberam, nec

infirmitatem ejus & proclivitatem naturalem ad contrarium; ſed tantùm tollit uſum illius libertatis, impediendo, ne tunc poſſit exire in actum.

Contra primò, quia hoc totum admittit Calvinus, ut patet lib. 2. Inſtit. cap. 5. §. 14. & 15. & damnatur tanquam qui neget liberum arbitrium in operibus gratiæ: contra quem Concilium hìc agit dum ait, hominem excitatum & adjutum liberè moveri in Deum, item poſſe converti & gratiam Dei rejicere. Secundò, ſi Deus neceſſitaret hominem ad aliquem actum bonum, tantùm relinqueret in ipſo potentiam liberi arbitrii & proclivitatem ad contrarium, & ſolùm impediret uſum libertatis ipſius in contrarium, iſte actus bonus non eſſet liber ſed neceſſarius; ergò ſimiliter hìc ſi illa gratia non relinquit homini uſum libertatis ſuæ, neceſſitat ſimpliciter ad converſionem vel opus bonum. Tertiò, de ratione actus liberi eſt, ut voluntas quomodocùmque ſit præparata, ſit indifferens & indeterminata ad illum actum in omni inſtanti quod eſt prius quàm eliciat actum, ita ut in omni priori ſigno, ſicut poteſt elicere actum, ita etiam poſſit non elicere, ut docet Scotus in 3. d. 18.

ergô

ergò ſi eſt neceſſaria talis gratia, quâ poſitâ impoſſibile ſit, liberum arbitrium non obtemperare, & neceſſe obtemperare, non eſt libertas in iis actibus. Denique hæc eſt omninò ſententia Calvini, qui lib. 2. cap. 3. ait: *movet Deus liberum arbitrium, non ut multis ſæculis creditum eſt, ut noſtræ ſit electionis, motioni Dei aut obtemperare aut refragari &c.* Ubi dicit, nobis non relinqui liberam electionem, id eſt, uſum libertatis.

Reſpondent ergò tertiò; poſitâ illâ gratiâ efficacis cooperationis, voluntatem quidem eodem momento conſentire, tamen hanc neceſſitatem non repugnare libertati, quæ tantum eſt neceſſitas ex ſuppoſitione.

Contra; hæc gratia diſtinguitur realiter à conſenſu, ſicut vera cauſa à ſuo effectu, atqui hæc cauſa talis eſt, ut eâ poſitâ impoſſibile ſit, non ſequi effectum ſtatim, ergò effectus ſequitur neceſſariò ex illa cauſa, ergò non liberè: nam omnis cauſa, quæ ita determinat intrinſecè liberum arbitrium, ut illâ poſitâ neceſſario liberum arbitrium agat, ſine dubio affert neceſſitatem, quæ repugnat libertati actus, ſicut patet in amore Dei in Beatis, qui tantum eſt neceſſarius ex ſup-

poſi-

poſitione luminis gloriæ, non tamen ullo modo eſt liber. Confirmatur primò, quia ſi Deus neceſſitaret hominem ad aliquem actum, ille actus non eſſet neceſſarius niſi ex ſuppoſitione, & tamen non poſſet reſpectu hujus hominis dici liber.

Confirmatur ſecundò, quia quando ſuppoſitio non eſt in noſtra poteſtate, tunc id quod neceſſariò ſequitur ex ſuppoſitione, nullo modo eſt liberum. Non enim imprimis in ſe eſt liberum, ut patet, quia habet neceſſariam habitudinem ad ſuppoſitionem: nec etiam in ſua cauſa, videlicet quaſi ſuppoſitio eſſet libera, quia non eſt in noſtra poteſtate hoc vel illo tempore habere gratiam illam efficacis inoperationis: quin ex ſententia illorum eſt neceſſaria ad omnes bonos actus, etiam ad petendam illam, ſicut oportet: unde ulteriùs videtur ſequi, hominem totâ vitâ ſuâ eſſe aſtrictum perpetuæ neceſſitati, & non poſſe quidquam boni facere, niſi Deus ante in illo efficaciter operetur ut faciat, & tunc neceſſariò facere. Unde patet, hanc ſententiam tollere ſtudium orandi & omnem ſedulitatem, præcepta, exhortationes &c.

Unde urgeo ex Concilio Trid. can. 4. ubi dicit, liberum arbitrium hominis

Deo

Deo motum & excitatum poſſe aſſentiri Deo excitanti & vocanti & diſſentire, ſi velit; ergò non eſt neceſſaria illa gratia efficax, quæ infallibiliter & indeclinabiliter operetur aſſenſum.

Reſpondent primò, Concilium intelligendum eſſe, quòd homo poſſit aſſentiri & diſſentire gratiæ excitanti & pulſanti extrinſecùs, non autem gratiæ efficacis coöperationis.

Contra, quia Concilium vult, ut cùm eadem gratia, cùm qua poſſumus conſentire, cum eadem etiam poſſimus diſſentire; quia, ſicut dicit, liberum arbitrium motum & excitatum poſſe conſentire, ita & diſſentire; ergò cum tota illa gratia, cum qua poteſt conſentire, cum eadem poteſt diſſentire. Unde

Reſpondent ſecundò, *aſſentiri & diſſentire* pertinere ad intellectum propriè, & ſenſum canonis eſſe, hominem poſſe per intellectum conſentire & diſſentire gratiæ, quatenùs eſt magiſtra intellectus. Confirmant: quia Concilium non dicit, quòd poſſit aſſentiri & diſſentire gratiæ, ſed Deo.

Contra, quia Concilium apertè loquitur de aſſenſu & diſſenſu liberi arbitrii, id eſt liberæ voluntatis. *Si quis dix*

erit, inquit, *liberum hominis arbitrium motum & excitatum nihil operari aſſentiendo &c.* Deinde ſi gratia Chriſti poteſt reſpui ex parte intellectus, cur non etiam ex parte voluntatis?

Reſpondent tertiò, hominem excitatum Deo poſſe conſentire & diſſentire; quia ſi ſuperveniat gratia efficacis cooperationis, homo poteſt conſentire & reipſa conſentit; ſi non ſuperveniat, poteſt diſſentire, & reipſa diſſentit.

Contra, quia hoc eſt facere Deum liberum, non hominem; quia in ſolius Dei libertate poſitum eſt, ut illa gratia detur vel non detur; dat enim eam cui vult; & eſt propria prædeſtinatorum, ut dicunt. Deinde nemo hæreticus unquam negavit, quin hoc modo homo poſſit conſentire & diſſentire, converti & non converti; & tamen Concilium hic aliquid determinat contra hæreticos. Tertiò, quia ſimiliter viſio & amor Dei in Beatis eſſent actus liberi, quia poterat fieri, ut Deus daret iſtis hominibus lumen gloriæ, & tunc poterant videre & amare, & fieri poterat, ut Deus non daret, & tunc poterant non videre & non amare. Omitto nunc Scripturas & Patrum teſtimonia & rationes, atque hæc

pro

pro confirmatione noſtræ ſententiæ ſufficiant.

Hinc concludo in Concil. Trid. hominem peccatorem à Deo ſufficienter excitatum poſſe conſentire & diſſentire, ſi velit, nec requiri aliam gratiam, quæ efficaciter præoperando & cooperando faciat illum conſentire, quâ poſitâ neceſſariò conſentiat.

Unde ulteriùs infero, hominem à Deo ſufficienter excitatum & præparatum verè poſſe illud, ad quod ſufficienter eſt excitatus, ſi de uno actu loquamur, v. g. ut conſentiat, & illi eſſe præparatum auxilium concomitans ſeu adjuvans, eo ferè modo, quo habenti potentiam videndi præparatus eſt concurſus naturalis. Et ratio eſt, quia ipſa excitans gratia eſt veluti ſemen quoddam boni operis præbens

iſſe errorem. Contra primò, quia hoc eſt evertere au-
tatem Concilii; nam quotieſcumque adferretur aliquid
pitibus illis, diceretur, capita illa non eſſe relecta &
cilium non tam propriè loqui, quàm Patres. Secundò,
Concilium ibi dogmaticè loquitur contra Lutherum &
vinum, & verbis contradictoriis eorum hæreſi utitur;
Lutherus dicebat, liberum arbitrium ut rem inanime
& ſe merè paſſivè habere: Calvinus dicebat, illud q
cooperari, ſed neceſſariò, ita ut poſitâ Divinâ motio
poſſet diſſentire: Concilium autem utrumque verbis c
dictoriis elidit. Tertiò, quia idem eſt definitum in C
bus, quos conſtat eſſe de fide, ut patet Can. 4.

vires voluntati ad conſenſum, ſicut ſemen præbet vires terræ ad germinandum: unde & in parabola vocatur ſemen Mat. 13.

Ad primum argumentum in Cenſura poſitum reſp. Hæc ſententia nullo modo repugnat Scripturis aut D. Auguſtino, ſed omnino ex illis colligitur. Et quia potiſſimum putatur D. Auguſtino repugnare, adferam aliqua loca. Lib. ergò 12. de Civit. cap. 6. ponit duos pari modo & corpore & animo affectos & pari tentatione pulſatos, & dicit alterum cadere, alterum ſtare, quia hic liberè vult à caſtitate deficere, alter non vult. Unde patet, illum non requirere illam gratiam efficacis præoperat. in eo qui ſtetit. Item lib. 83. qq. q. 68. dicit, ut venirent vocati ad cænam, erat in libera eorum poteſtate, & ſi quiſquam ſibi tribuat, quòd venit vocatus, non tamen poteſt ſibi tribuere, quòd ſit vocatus: ubi apertè dicit, vocatum poſſe venire & non venire pro ſua liberrima voluntate, nec requirit aliam gratiam efficacem, quæ ipſum faciat venire. Præterea Aug præter excitationem ſeu vocationem & protectionem non videtur requirere aliam gratiam efficacem in omnibus operibus: nam lib. 1. ad Simp. q. 2. docet gratiam efficacem, quæ nun-

quam

quam reſpuitur, nihil *eſſe* aliud, quàm vocationem ſeu excitationem, quam Deus eo tempore & modo dat, quo videt fore ut non reſpuatur, etiamſi facillimè poſſet reſpui. Lib. de grat. & lib. arb. cap. 5. dicit, Paulum de cælo vocatum, & illâ efficaciſſimâ vocatione converſum: ubi vocationem vocat gratiam efficacem. Item ipſum *credere & velle converti* ſecundùm Auguſtinum ideo tantùm tribuitur Deo, quia Deus vocavit Lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Si Eſau voluiſſet & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei velle & credere vocando præſtaret.* Ecce quomodo Deus det velle & credere, nempe vocando & excitando. Ibid. *Vt velimus, & ſuum eſſe voluit & noſtrum; ſuum vocando, & noſtrum ſequendo.* De gra. & lib. arb. c. 16. *Ille facit, ut faciamus præbendo vires voluntati.* De Spir. & litt. cap. 34. *Velle bonum non tantùm eſſe à Deo, quia eſt à libero arbitrio, quod eſt à Deo, ſed etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus & ut credamus ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes &c. ſive intrinſecùs, uti nemo habet in poteſtate, quid ſibi veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſſe*, id eſt liberi arbitrii. Deinde ait: *his ergò modis quando*

Deus agit cum anima rationali, ut ei credat (neque enim credere poteſt, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio cui credat) profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus ejus miſericordia prævenit nos, conſentire autem vocationi Dei vel diſſentire propria voluntatis eſt. Quibus locis apertiſſimè docet, quòd velle & credere Deus operetur in nobis, quatenus dat nobis gratiam excitantem ad velle & credere, licet poſitâ illâ gratiâ ſit in noſtra poteſtate cùm auxilio concomitante conſentire vel diſſentire. Unde patet hanc totam ſententiam eſſe Auguſtini, nec eum requirere præter ſufficientem excitationem & vocationem aliam gratiam, quæ faciat nos efficaciter conſentire, & quâ poſitâ impoſſibile ſit non conſentire: nam hæc ipſa excitatio, quando ita fit, ſicut Deus novit hominem ſecuturum, eſt gratia efficax.

Dices, ſi hoc relinquitur liberum, ut conſentiat vel non, ergò gratia Dei eſt pediſſequa voluntatis.

Reſpondeo, tota gratia non eſt pediſſequa voluntatis; nam gratia excitans ſeu vocatio prævenit hominis libertatem, gratia etiam concomitans non eſt pediſſequa ſed comes: poſſet tamen aliquo

ſenſu

ſenſu dici pediſſequa, quia voluntate ſufficienter excitatâ eſt in poteſtate noſtra habere gratiam concomitantem in actu ſecundo, vel non habere: & quidem quòd Deus non det alteri bona opera, niſi dando gratiam excitantem ad illa & præbendo concurſum, patet evidenti ratione (de habitu enim non loquor) nam vel infundit illa extrinſecùs, ſicut infundit habitus, & ſic eſt error Lutheri, qui putat bona opera interna extrinſecùs infundi, libero arbitrio ſe merè paſſivè habente; vel operatur illa efficaciter præveniendo & movendo liberum arbitrium, ſicuti operatur in nobis ſanctas inſpirationes & affectiones, ut docet Auguſtinus de ſpir. & litt. cap. 34. & hic eſt error Calvini; vel operatur illa ponendo aliquid in libero arbitrio, unde neceſſariò ſequitur, ſicut operatur amorem beatificum, & hic etiam eſt error Calvini; vel denique operatur illa ponendo in libero arbitrio aliquod ſemen, & ita ſuadendo ſicut noverat conſenſurum, & hoc eſt quod nos dicimus.

Sed infert Cenſura, gratia Chriſti aufert cor lapideum & tribuit cor carneum, nec tribuit ſolùm poſſibilitatem, ſed etiam operationem.

Reſp.

Reſpondeo, gratia Chriſti auferentis cor lapideum aliquando eſt Auguſtino gratia habitualis, ut docet Ruardus a. 7. hæc enim formaliter aufert cor lapideum, ut cùm ait de prædeſt. Sanct. cap. 5. gratiam Chriſti diſcernere bonos à malis: aliquando eſt excitatio & vocatio, quâ Deus ita interiùs vocat, ſicut novit ſecuturum, ut cùm ait eodem lib. cap. 8. gratiam Chriſti à nullo corde duro reſpui. Hanc ergò non tollimus, ſed ſtatuimus: qualis autem debeat eſſe gratia excitans, ſatis dictum eſt.

Ad locum illum Auguſtini de gratia Chriſti cap. 47. reſp. non vult dicere Auguſtinus, ipſum velle & agere eſſe aliter à Deo, quàm ratione gratiæ excitantis & adjuvantis: imò apertè dicit, ideo hæc eſſe à Deo, quia non ſunt ſine ejus auxilio, quod auxilium conſiſtit in excitatione, protectione & concurſu.

Dices, Auguſtinus dicit, non tantùm poſſe, ſed etiam velle & agere eſſe à Deo.

Reſpondeo, per poſſe intelligit liberum arbitrium, per quod habemus potentiam ad bona opera: agit enim ibi contra Pelagium; qui ut patet cap. 4, ejuſdem libri, diſtinguebat tria, *poſſe, velle,*

velle, *agere*: per *poſſe* intelligebat vires liberi arbitrii, & hoc dicebat eſſe à Deo; *velle* autem & *agere* tantùm à nobis, ſicut potentia videndi à Deo eſt; videre autem à nobis: contra quem D. Auguſtinus agit dicens, non tantùm *poſſe* à Deo eſſe, ſed & *velle*, quia ſine ejus adjutorio nunquam ſalubriter vellemus. Hæc eſt vera expoſitio hujus loci ex mente D. Auguſtini. Nos ergò cum D. Auguſtino contra Pelagium confitemur, non tantùm *poſſe* nobis eſſe à Deo, id eſt liberum arbitrium, ſed etiam *velle*; quia ut bene velimus, debet liberum arbitrium excitari, præparari & juvari. Hinc patet reſponſio ad objectiones, quæ ſunt in cenſura nonæ aſſertionis: nemo enim unquam dixit, ſpecialem Chriſti gratiam, quam Scripturæ commendant, eſſe propriè tantùm concurſum illum ſupernaturalem (quamvis Pelagius & illum & naturalem negaverit, ut patet ex Hieron. Epiſt. ad Theſip. ut mirum ſit, DD. Cenſores dicere, Pelagium hunc concurſum non negaſſe) illa enim eſt varia; Scripturæ enim commendant aliquando gratiam juſtificantem & inhabitantem, aliquando prævenientem, aliquando adjuvantem, aliquando etiam omnes ſimul,

ficut cùm ait, *gratia Dei in me vacua non fuit.* Cùm autem dicitur: *dabo vobis cor carneum, & faciam ut ambuletis in præceptis meis*; ſenſus eſt, dabo vobis gratiam juſtificantem, quâ diligatis mea præcepta, & crebras excitationes internas & externas & ſingularem protectionem, quibus fiet, ut ambuletis in præceptis, licet poſſitis facile non ambulare: non autem promittitur gratia, quæ præter excitationes & protectiones Divinas efficaciter determinet hominem, & faciat, ut in præceptis ambulemus: nam hæc eſt hæreticorum expoſitio.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimæ.

es SI illa ſententia, *Non tantùm egemus gra-*
Aſſ. *tiâ, quâ poſſimus, ſed etiam quâ faciamus*
n intelligatur de libero arbitrio ſufficienter
6. excitato, quod nempe præter liberum ar-
7. bitrium ſufficienter excitatum & præpa-
de ratum, quo propriè dicimur poſſe, requi-
c.9 ratur alia gratia, qua faciamus, illa alia gratia non poteſt intelligi, niſi auxilium concomitans, ſi loquamur de uno aliquo actu; tamen ſciendum eſt, hanc expoſitionem, etſi verum ſit, quod dicitur, non

eſſe

eſſe ex mente Auguſtini, ſed ea, quam attulimus, id eſt, ſecundùm quam gratia quâ poſſimus, eſt liberum arbitrium gratis acceptum à Conditore, gratia autem quâ faciamus, eſt gratia habitualis, excitatio, vocatio, protectio Divina & concurſus: negavimus autem præter excitationem & auxilium jam dictum requiri ad ſingula bona opera gratiam ita efficacem, ut infallibiliter voluntatem determinet: nam hæc loquendo de determinatione quæ provenit ex efficacitate gratiæ, videtur tollere libertatem, ut ſupra dictum eſt, non enim gratia præveniens propriè voluntatem determinat ad conſenſum, ſed invitat & inclinat, ita tamen ut voluntas in inſtanti, quod antecedit conſenſum, ſit indifferens & indeterminata ad conſentire & non conſentire, ut ſuprà oſtenſum eſt. Ad locum illum de corrept. & gra. cap. 12. *Si homo relinqueretur ſua voluntati &c. non perſeveraret*: tantùm vult dicere Auguſtinus, hominem juſtum, ſi relinquatur ſine ſpeciali auxilio, nempe excitatione & protectione Divina, facilè ſuccumbere; & ideo ſubventum eſt voluntati, ut per gratiam adjuvantem & excitantem inſeparabiliter & indeclinabiliter ageretur, id eſt, ita ut non ſeparetur

vel declinet de facto, non autem quòd non poſſit facilè declinare; vel indeclinabiliter, nempe ex præſcientia: quia ſubventum eſt illi per talem providentiæ modum, per quem certiſſimè ſciebat, ſi ita juvaretur, eum non declinaturum. Hæc tamen gratia & excitatio in aliis eſt multò potentior quàm in aliis, v. g. in Paulo & Magdalena vocatio & excitatio ita magna fuit, ut difficile eis fuiſſet reſiſtere, & moraliter certum erat eos ſecuturos. Unde cùm dico, fortè in Paulo & Magdalena fuiſſe talem excitationem & vocationem, quæ illos infallibiliter determinaret, loquor de infallibilitate morali, quâ moraliter certum erat & infallibile, conſideratâ potentiâ talis vocationis, quòd qui tam potenter vocaretur, obtemperaret: omninò autem & abſolutè certum erat Deo, quia ipſe novit, quibus modis liberum arbitrium excitari debeat, ut ſeſe liberè convertat: licet inter illos modos magna ſit differentia, ita ut aliis facillimè, difficiliùs aliis reſiſti poſſit. Nec tamen hinc ſequitur, magnos Sanctos, qui magno impetu gratiæ Dei ad bonum excitati fuêre, minus meruiſſe in ſuis operibus, quàm communes fideles qui minore; quia opus non ſtatim, ſi

eſt magis liberum, ideo etiam magis meritorium; nam licet ad rationem meriti requiratur libertas, tamen meritum magis ex perfectione operis, quàm ex libertate ſpectatur. Itaque quædam opera Sanctorum libera, etſi minùs erant libera quàm alia communia Fidelium, poterant tamen magis eſſe meritoria; quia magis intensè & intrinſecè perfectiora. De diſtinctione autem gratiæ Adami & noſtræ amplectimur D. Auguſtinum: Adamo enim fuit datum poſſe perſeverare, ſi vellet; quia tantùm fuit liberum arbitrium ſanum, inſtructum juſtitiâ originali ſine omni rebellione carnis & ſpiritus &c. quo poterat perſeverare ſi volebat: nobis autem propter vulnera peccati originalis in nobis relicta non tantùm datur ut poſſimus, ſed etiam ut velimus: id eſt, non tantùm datur nobis liberum arbitrium etiam inſtructum gratiâ & virtutibus; quia ſi nihil aliud daretur, facilè in tanta infirmitate carnis deficeremus; ſed etiam datur ut velimus: id eſt, dantur nobis crebræ excitationes internæ & externæ, quibus invitamur ad bona opera, daturque protectio ſingularis. Non autem vult dicere præter hæc omnia dari etiam quandam gratiam, quæ efficaciter & in-

 fallibiliter

fallibiliter faciat nos facere omnia noſtra bona opera, aut faciat nos perſeverare: nam hæc videtur rationem libertatis auferre, ac proinde rationem meriti; non autem gratia efficax, quam nos ex D. Auguſtino oſtendimus.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis undecimæ.

AUguſtini ſententia non pervertitur. Primò, quia ipſius oratio eſt conditionalis, quæ æquivalet univerſali. *Si tamen*, inquit, *ſint reprobi, non adhibentur eis dicta vel facta, per quæ poſſent credere ſi audirent.* Nonne hinc bene colligitur: ergò nullis reprobis infidelibus adhibentur dicta vel facta, per quæ poſſent credere? Sicuti ſi dicam, ſi illi ſint prædeſtinati, dabitur illis gratia, quâ credant, bene poſſum inferre: ergò omnibus prædeſtinatis infidelibus gratia datur, ut credant, etiamſi non intelligeretur, niſi de Tyriis & Sidoniis: tamen quia oſtendimus illis etiam ex parte Dei non defuiſſe auxilium ſufficiens, ut poſſent converti ad fidem, ut etiam docet Ruardus a. 7. non omnino propriè de illis dici

dici poteſt quòd non potuerunt credere: ergò ſententia D, Auguſtini piè eſt exponenda juxta ipſius intentionem, non verborum rigorem: idque ſicut dicitur in aſſertione 10. ſic enim ſæpè dicit Auguſtinus non poſſe fieri, quod prævìſum eſt de facto non futurum &c. ut cùm dicit, hominem indeclinabiliter agi, & inſeparabiliter agi per gratiam, ſenſus eſt, ita agi ut eo facto non declinet, vel ita agi, ut Deus noverat illum non declinaturum, & patet ex præcedentibus; quia colligit hanc ſententiam ex verbis Domini dicentis Tyrios & Sidonios facturos fuiſſe pænitentiam, ſi ejus ſigna vidiſſent: unde D. Auguſtinus infert, habere quoſdam Divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus audiant verba vel ſigna conſpiciant: ſi tamen ſint reprobi, non adhibentur eis dicta, per quæ poſſent credere: ſine dubio non aliud ex præcedentibus infertur, niſi ea non adhiberi, per quæ de facto crederent. Ita docet Ruard. a. 7. fol. 354. habuerunt tamen Tyrii & Sidonii auxilia ſufficientia ex parte Dei, quibus ſenſim poſſent pervenire ad fidem ſi Divinæ gratiæ ſuâ negligentiâ non defuiſſent.

RES-

RESPONSIO.

Ad Cenſuram Aſſertionis duodecimæ.

SI D. Auguſtinus hoc non vult dicere, ſed hunc nolle credere, quia ejus voluntas non præparatur à Deo; bene habet: nam ſic non eſt mihi ratio iſtius locutionis explicanda. An tamen non poſſit colligi, judicent, qui in Auguſtino bene ſunt verſati. Quæritur enim cur duobus audientibus evangelium hic credat, ille non: reſpondet; quia hic vult, ille non: deinde ulteriorem rationem videtur aſſignare, cur hic velit, alter nolit; quia, inquit, cùm huic præparatur voluntas, alteri non præparatur, videndum quid veniat de miſericordia & judicio; ubi ultimas utriuſque cauſas aſſignare videtur. Inſpiciatur & examinetur totum caput. Sanè D. Ruardus vir doctiſſimus & in Auguſtino verſatiſſimus ſic Auguſtinum intelligit a. 7. fol. 333. Mihi ergò non ſine ratione videbatur id velle dicere, & propterea excuſare ſum conatus reſpondendo, impropriam eſſe locutionem; quia omnis locutio eſt impropria, quæ aliqua ratione cauſam

cauſam peccati in Deum refert. Tamen in ſenſu proprio vera eſt&Scripturis conſentanea* *dedit illis ſpiritum compunctionis, oculos ut non videant, aures ut non audiant uſque in hodiernam diem*; & 1. Reg. 2. *non audierunt vocem ſui patris, quia Deus voluit diſperdere eos*: illa enim particula *quia* non ſemper ſignificat propriam cauſam. Ad illud autem, quod adfertur ex D. Auguſtino lib. de bono perſev. cap. 22. reſpondeo: D. Auguſtinus non ideo ait, hoc non eſſe dicendum, quòd nullo ſenſu ſit verum; ſed quia impropriè diceretur, & cum offenſione populi. Iſai

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimatertiæ.

NOn dubitandum, quin Apoſtoli & Beatiſſima Virgo habuerint multò majus donum perſeverantiæ, quàm communes fideles, qui frequenter labuntur in peccata mortalia: ita enim cuſtodiebantur & regebantur à Deo, ut B. Virgo non poſſet quidem peccare, ſaltem mortaliter; Apoſtoli autem vel non poſſent, vel Auth huju fert. comr ſente Doct eſſe mato gratia habe gè m

donum perſeverantiæ, quàm alii. Vide D. Thomam p. 27. art. 3. & 4. & ibidem Cajet. & Bonavent. & i Auguſtinus lib. de nat. & gra. c. 36. de D. Virgine

non niſi difficulter poſſent: nam ſecundùm communem ſententiam fuerunt confirmati in gratia per ſingulariſſimam aſſiſtentiam Dei; non autem per gratiam habitualem, ut Cenſura objicit: nemini enim juſto gratia habitualis ſufficit ad perſeverandum. Unde Apoſtoli ſecundùm ſe quidem erant periculo mutabilitatis ex bono in malum obnoxii; quatenus tamen erant ſub tam potenti Dei cuſtodia difficile eis fuiſſet in peccatum mortale labi. Unde non ſtatuimus illos abſolutè non fuiſſe obnoxios periculo mutabilitatis, ſicut Cenſura imponit.

Quod autem dicit, non eſſe Scripturæ S. nec D. Auguſtino conſentaneum, ponere aliquos confirmatos in gratia, valde mirum eſt, cùm ſit communis ſententia Scholaſticorum quæ, ut opinor, non tenet aliquid Scripturis repugnans; ſed potiùs quod contra illam à privatis quibuſdam tenetur, ſuſpectum haberi debet. Et apertè D. Cyril. lib. 9. in Joan. cap. 29. in illud *non turbetur cor veſtrum: Non enim*, inquit, *inerat Apoſtolis, ne cadere poſſent, quod poſtea ſuperiori virtute roborati* (id eſt Spiritus S. gratiâ muniti) *habuêre*. Neque aliquod teſtimonium, quod ſciam, ex D. Auguſtino adferri poteſt, quod

repugnet.

repugnet. Nec obſtat his illud : *qui ſtat, videat ne cadat:* & *vigilate & orate , ne intretis in tentationem* : ſicut nec prædeſtinatis , quibus revelata eſt ſua prædeſtinatio. Quod autem dicit Cenſura , potiùs debere dici hominem confirmari in gratia quàm eſſe confirmatum , ad modum loquendi pertinet. Certè non puto , eum peccare , qui cum omnibus pene Scholaſticis loquitur : licet enim homo per intrinſecam diſpoſitionem in hac vita non poſſit dici confirmatus in gratia , tamen propter Divinam aſſiſtentiam , quæ eum regit , rectè dicitur confirmatus. Unde patet , non excludi orationem hominis & ſtudium. Quod autem dicimus eſſe aliquod perſeverantiæ donum , quo poſſet homo perſeverare & non perſeverare , & hoc dari omnibus juſtis , videtur de fide; niſi ſit quæſtio de nomine,: nam Concilium Trid. & D, Auguſtinus docent, omnem juſtum poſſe perſeverare: atqui iſtud poſſe perſeverare eſt donum Dei ; nam nemo poteſt , niſi Dei auxilio: ergò eſt quoddam donum perſeverandi , quo poteſt homo perſeverare & non perſeverare: hoc autem donum non omnino malè vocatur donum perſeverantiæ, ſicut donum quo poſſum credere , vocatur do-

num fidei, nam ex adjunctis conſtat, quomodo accipiatur.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimaquartæ.

Valde mirum eſt, DD. Cenſores hæc ità accipere, quaſi velimus excæcatos & infideles habere tantùm auxilii in actu ſecundo, ut immediatè poſſint converti. Quis enim Catholicus hoc diceret? Neque verba ullo modo præ ſe ferunt, ut patet ex longiſſima quæſtione, quam hac de re feci, ubi oſtendi, eatenus eos habere auxilium ſufficiens, quia Deus non ita eos deſerit, quin eos loco & tempore excitet ad bonum, paratus juvare ulteriùs, ſi ipſi Divinas inſpirationes non repellant. Quòd autem dico, infideles ſemper habere auxilium ſufficiens ex parte Dei, hoc non eſt dicere, eos ſemper habere divinas inſpirationes: nam fusè docui contrarium; ſed tantùm. quòd nunquam ſint in tam malo ſtatu, ut Deus illos inpoſterum deſerat, nunquam ampliùs pulſando ad oſtium cordis. Quidam enim dicunt, eſſe quædam peccata tâm gravia, ſimiliter eſſe quandam

quandam peccatorum menſuram, poſt quam Deus hominem omninò deſerat: quod ut excluderem, dixi ſemper: habere autem ſemper auxilium ſufficiens ex parte Dei, eſt Deum eſſe paratum homini auxilium præſtare, ut ſæpe ibi diximus. Neque ideo fruſtra Eccleſia pro infidelibus aut fidelibus orat, quia Deus non ſemper pulſat. Unde petit, ut crebriùs pulſet, deinde petit, ut efficaciter pulſet; nimirum ita, ut novit illos ſecuturos: & ut ait Auguſtinus, ita vocat, ſicut novit congruere, ut vocantem non reſpuat,

Neque hæc doctrina quidquam commune habet cum Pelagio, ut patet intelligenti, & bene docet Ruard. a. 7. pag. 346. & 339. nemo enim Catholicus dicit infideles per liberum arbitrium habere ſufficiens auxilium, ut credant, gratiam verò dari, ut faciliùs hoc præſtent, quod volebat Pelagius: ſed dicimus, infideles interdum excitari à Deo, & ita excitatos ſenſim poſſe progredi.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimaquintæ.

ITa exponit hæc loca Scripturæ S. quibus ſignificatur impoſſibile hominem converti, Andreas Vega lib. 13. in Concil. Trid. cap. 12. & 13. Scoto in 4. d. 15. a. 1. q. 1. & alii multi contra hæreticos. Adferunt etiam aliam expoſitionem, ſcilicet eſſe impoſſibile per vires naturæ. Utraque videtur bona, tamen prior videtur melior, nam commune eſt omnibus, ut non poſſint converti per vires naturæ: Scriptura verò peculiariter de quibuſdam valde malis, etiam conſuetudine pravâ confirmatis, dicit eos non poſſe converti, ut cap. 13 Hierem. Sapien. 12. Joan. 12. & aliis locis, quando peccatum in Spiritum S dicitur incurabile. Illud autem Eccleſ. 1. *nemo poteſt corrigere eum, quem Deus deſpexerit*, intelligendum eſt in ſenſu compoſito, ut exponit D. Thomas 1. p. q. 23. a. 3. ſicut cùm dicimus, reprobum non poſſe ſalvari; vel quòd homo deſtitutus auxilio Dei, quamdiu eſt eo deſtitutus, non poſſit à quoquam emendari: nemo tamen eſt, qui ita deſtituatur.

tuatur. Cùm autem additur aliquid impoſſibile, quo impóſſibilitas ipſa reſtringatur; ut cùm dicitur *ſine me nihil poteſtis facere*, id eſt, viribus naturæ aut ſolâ lege non poteſtis juſtificari; ſine dubio intelligitur de abſoluta impoſſibilitate: tam enim eſt homini impoſſibile ſine gratia aliquid boni ſpiritualis facere, quàm beare. Sed eſt argumentum ſophiſticum, ſi quis ita colligat: Scripturæ quæ ſignificant impoſſibile eſſe converti, non ſunt intelligendæ de abſoluta impoſſibilitate: ſed tantùm de magna difficultate, ergò quæ ſignificant impoſſibile converti viribus naturæ vel ſine gratia; non ſunt intelligendæ de abſoluta neceſſitate, ſed tantùm de difficultate: nihil ergò nobis commune eſt cum Pelagio. Quod autem ii, qui dicuntur indurati, non ita deſtituantur à Deo, ut nullo modo poſſint converti ampliùs, oſtenſum eſt multis teſtimoniis & exemplis ex Scriptura & Patribus, ad quæ nondum vidi eſſe reſponſum. Sentit D. Ruardus a. 7. pag. 326. ubi etiam id probat ex Auguſtino.

RES-

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimaquintæ.

ITa exponit hæc loca Scripturæ S. quibus ſignificatur impoſſibile hominem converti, Andreas Vega lib. 13. in Concil. Trid. cap. 12. & 13. Scoto in 4. d. 15. a. 1. q. 1. & alii multi contra hæreticos. Adferunt etiam aliam expoſitionem, ſcilicet eſſe impoſſibile per vires naturæ. Utraque videtur bona, tamen prior videtur melior, nam commune eſt omnibus, ut non poſſint converti per vires naturæ: Scriptura verò peculiariter de quibuſdam valde malis, etiam conſuetudine pravâ confirmatis, dicit eos non poſſe converti, ut cap. 13 Hierem. Sapien. 12. Joan. 12. & aliis locis, quando peccatum in Spiritum S dicitur incurabile. Illud autem Eccleſ. 1. *nemo poteſt corrigere eum, quem Deus deſpexerit*, intelligendum eſt in ſenſu compoſito, ut exponit D. Thomas 1. p. q. 23. a. 3. ſicut cùm dicimus, reprobum non poſſe ſalvari; vel quòd homo deſtitutus auxilio Dei, quamdiu eſt eo deſtitutus, non poſſit à quoquam emendari: nemo tamen eſt, qui ita deſtituatur.

tuatur. Cùm autem additur aliquid impoſſibile, quo impóſſibilitas ipſa reſtringatur; ut cùm dicitur *ſine me nihil poteſtis facere*, id eſt, viribus naturæ aut ſolâ lege non poteſtis juſtificari; ſine dubio intelligitur de abſoluta impoſſibilitate: tam enim eſt homini impoſſibile ſine gratia aliquid boni ſpiritualis facere, quàm beare. Sed eſt argumentum ſophiſticum, ſi quis ita colligat: Scripturæ quæ ſignificant impoſſibile eſſe converti, non ſunt intelligendæ de abſoluta impoſſibilitate: ſed tantùm de magna difficultate, ergò quæ ſignificant impoſſibile converti viribus naturæ vel ſine gratia; non ſunt intelligendæ de abſoluta neceſſitate, ſed tantùm de difficultate: nihil ergò nobis commune eſt cum Pelagio. Quod autem ii, qui dicuntur indurati, non ita deſtituantur à Deo, ut nullo modo poſſint converti ampliùs, oſtenſum eſt multis teſtimoniis & exemplis ex Scriptura & Patribus, ad quæ nondum vidi eſſe reſponſum. Sentit D. Ruardus a. 7. pag. 326. ubi etiam id probat ex Auguſtino.

RESPONSIO.

Ad Cenſuram Aſſertionum decimæſextæ & decimæſeptimæ.

QUomodo illud intelligendum ſit; ſatis explicui in lectionibus: diximus enim parvulos habere ſufficiens remedium contra peccatum ex parte Dei; non quidem eo modo ſicut adulti, qui ſe ipſos juvare poſſunt, ſed hoc ſenſu, quia Deus hoc remedium inſtituit pro omnibus parvulis; nemine excepto, & per ſe non ſtatuit impedire ejus remedii applicationem, neque ordinat vel flectit ſeriem cauſarum naturalium vel liberarum, ut hæc remedia parvulis non applicentur; ſed tantùm permittit ſinendo eos agi ſuis motibus ſecundùm providentiam communem. Permittit autem ob duas cauſas ut dixi. Primò, ut oſtendat in his juſtitiam ſuam, ſicut in aliis miſericordiam. Cur enim hunc parvulum vult potiùs naſci tempore, loco, modo &c. quo ſcit eum non perventurum ad Baptiſmum ſecundùm communem curſum rerum, quam iſtum parvulum? Et hic ſe produnt inſcrutabilia Dei judicia. Vide Ruardum

in ſimili articulo 7. pagina 347.

Secundò, quia non eſt conſentaneum, ut Deus ſemper faciat miracula mutando curſum naturæ & impediendo hominum libertatem. Et hoc modo parvulos habere ſufficiens remedium ex parte Dei, rectè colligitur ex eo, quod Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, & pro omnibus Baptiſmum inſtituit. Idem colligitur ex ep. 17. D. Cypr. ad Fidum. Probat enim infantibus ante octavum diem non eſſe denegandum Baptiſma; ne noſtrâ negligentiâ pereant, quibus Deus gratiam ſuam ſine diſcrimine impartiri cupit. Deus enim, inquit, ut perſonam non accipit, ſic nec ætatem; cum ſe omnibus ad cæleſtis gratiæ conſecutionem æqualitate librata præbeat Patrem, & ut alii legunt, *Parem*. Item eſſe apud omnes ſive infantes ſive majores natu Divini muneris unam æqualitatem, declarat nobis Scriptura &c. Denique concludit: & idcirco, Frater chariſſime, hæc fuit in Concilio 60. Epiſcoporum noſtra ſententia, â Baptiſmo & gratia Dei, qui omnibus miſericors, benignus, & pius eſt, neminem per nos debere prohiberi.

Mirum ergo eſt, DD. Cenſores dicere, ex D. Cypriano nullo modo colligi,

Deum non impedire applicationem remedii; ſi enim Deus diſponit cauſas naturales & liberas eo fine, ut parvulis quibuſdam non poſſit adhiberi remedium, quomodo dicit Cyprianus, Deum ſe præbere patrem vel parem omnibus ad cæleſtis gratiæ conſecutionem? Item quomodo una Divini muneris apud omnes æqualitas? Quæ æqualitas in hoc conſiſtit, quòd ipſe ex parte ſua inſtituerit pro omnibus Baptiſmum, & cupit applicari omnibus, quatenus ordo providentiæ communis permittit. Et hæc ſententia multò magis videtur pia, quàm ea, quæ dicit, quotieſcumque puer aliquis non eſt baptizatus, Deus voluntate beneplaciti & abſolutâ ante prævilionem cauſarum impedientium voluit, ut ei Baptiſma non applicaretur, idque ſuo juſto judicio, & ideo ſic diſpoſuit omnes cauſas naturales vel liberas, ut in effectu applicatio eſſet impoſſibilis. Neque detrahitur Divinæ providentiæ, ſi dicamus, ſicut dicimus, Deum ante omnem præviſionem determinationis cauſarum ſecundariarum naturalium & liberarum non præordinaſſe, atque voluntate beneplaciti prævoluiſſe omnes effectus naturales & liberos in particulari cum omni-

bus

bus ſuis circumſtantiis v. g. ut ego tot & tales habeam cogitationes & volitiones tali tempore, loco, momento, ordine, tantâ intentione &c. Item ut in hac regione hoc anno tot naſcantur culices, tam magnæ, determinando cuique quoties debeat volare, per quæ aëris ſpatia, quoties & quibus locis quieſcere & quamdiu vivere unaquæque, & à quo tandem occidi. Item quot & quales criſpationes undarum, motus pulviſculorum &c. Item quot gramina ſint in hoc prato, quàm longa, quàm lata, ad quam partem ſingulis momentis moveri debeant. Probatur ex Patribus. Origen. lib. 7. in epiſt. ad Rom. Hier. in cap 26. Jerem. Chriſoſt. hom. 97. in cap. 10. 1. ad Cor. qui dicunt, non ideo aliquid futurum, quia Deus præſcit, ſed ideo præſcire, quia eſt futurum: quod intelligendum eſt de talibus futuris, qualia diximus. Damaſc. lib. 7. de fide cap. ult. Deus omnia præſcit, ſed non omnia prædefinivit. Idem docet Anſelm. de conc. præſcientiæ & prædeſtinationis cap. 1. & 2. & D. Thomas p. 1. q. 23. a. 7. ubi dicit expreſſè, numerum culicum non eſſe à Deo prædefinitum, ſicut cæteras mundi partes, præviſum tamen. Item q. 6. de ve-

ritate a. 3. Nec repugnat, quod ait q. 19. a. 8. quædam contingenter evenire, quædam neceſſariò propter infinitam efficaciam Divinæ voluntatis, quæ non tantùm facit quæ vult, ſed etiam eo modo quo vult: nihil enim aliud vult dicere, quàm ex infinita efficacia Divinæ voluntatis provenire, ut unumquodque habeat ſuæ conditioni & modo productionis conſentaneos effectus, liberi liberas, neceſſarii neceſſarias. Mirum autem eſt, DD. Cenſores hanc ſententiam de providentia modò tam graviter accuſare, cùm nondum ſint duo anni, quòd eam publicè in ſcholis impreſſis concluſionibus defenderint, quas apud me habeo: & certè ſi illa ſententia admittatur, non ſatis video, quomodo defendi poſſit libertas & contingentia; nam ex hoc potiſſimùm fundamento hæretici noſtri liberum ſubvertunt arbitrium, & Deum faciunt authorem peccati. Videatur Phil. Melanchthon apud Ruard. a. 7. & Calv. lib. 1. Inſtit. cap. 17. & 18. præſertim §. 1. & confirmatur ratione, quia quod abſolutâ & efficaci voluntate ante omnem præviſionem determinationis cauſarum ſecundarum decretum eſt, nulla creata potentia impedire poteſt: ubi ergò eſt

contin-

contingentia & libertas? Item ſequetur Deum abſolutâ voluntate decreviſſe omnes motus animorum, & omnes externas actiones impiorum, ac proinde ad ipſius providentiam pertinet procurare, ut ſuis temporibus fiant: unde manifeſtè ſequitur, Deum non minùs eſſe Authorem proditionis Judæ, quam vocationis Pauli.

Sed dicet fortè aliquis, actus qui ſunt intrinſecè peccata, non eſſe efficaciter præordinatos & prævolitos à Deo, ſed alios omnes.

Contra, quia hæc pertinent ad prædeſtinationem vel reprobationem, ergò Deus maximè circa hæc ſingularem habet providentiam: nam ideo DD. Cenſores volunt potiſſimùm tegulam, quæ fortè in caput infantis baptizandi delabitur eumque ante Baptiſmum interimit, divinâ providentiâ ita procurante cecidiſſe, quia hoc pertinet ad ejus prædeſtinationem vel reprobationem: ergo peccata non debent excipi. Deinde, ergo ſaltem diminuta erit providentia circa peccata. Ideo judicant me divinæ providentiæ detrahere, quòd non omnia ponam ſufficienter præordinata.

Tertiò, ſi peccata non ſunt à Deo præordinata, ſed tantùm permiſſa, ergò

ſaltem hoc habeo, infantem poſſe mori hic & nunc ſine efficaci Divinæ voluntatis præordinatione, nempe ſi mater eum deſtinato conſilio interimat.

Quartò ſi actiones, quæ ſunt intrinſecè peccata, non ſint à Deo efficaciter præordinatæ, cur non idem dici poteſt de omnibus actionibus ludicris, & multis aliis minoris momenti?

Sed dices; ſi hæc non ſunt efficaciter præordinata, quomodo ergo ſubſunt Divinæ providentiæ?

Reſpondeo, ſicut dixi in lectionibus meis, Divina Providentia etiam circa peccata habet quinque actus. Primò videt, quidnam quâvis occaſione poſitá eſſet ſecuturum, niſi ab eô impediatur. Secundò quidnam de facto ſit futurum videt, niſi ipſe impediat. Tertiò habet voluntatem permittendi vel non permittendi circa illud. Quartò videt illud poſitum in rebus ſuo tempore. Quintò ordinat illud ad ſuam gloriam & aliorum bonum ex malo bonum eliciendo: habet enim omnium corda in manu ſua, & videns, quid quâvis occaſione poſitâ homo eſſet facturus, poteſt permittere illud, vel non permittere, prout placuerit; nec poteſt quidquam in actum evocare;

niſi ipſo permittente vel annuente. Unde quando dicimus, Deum permittere peccata, non intelligitur ſic otioſè permittere, ſicut homo permittit ea, quæ neſcit, nec poteſt impedire, nec ordinare; ſed intelliguntur ipſi quinque actus jam expreſſi.

Ex his patet reſponſio ad ſcripturas citatas in Cenſura quas etiam Calvinus adfert ad ſtabilendum eandem ſententiam. Sine enim voluntate Dei non cadit pilus de capite, non quidem ordinante efficaciter ut tali momento talis pilus cadat de capite in tali loco &c. ſed non ſine voluntate permitente.

Ad teſtimonia D. Auguſtini: Deo nihil eſt fortuitum vel caſuale; non quòd omnia procuret fieri, quæ fiunt; ſed ob dictas cauſas: quia prævidet omnia, & nihil poteſt fieri, niſi ipſe permittat, & quaſi conſenſum præbeat ut fiat, laxando manum ſuam, quâ omnium cauſarum radices continet. Quòd autem in illis qui non baptizantur, cernatur judicium, & quomodo, ſæpè dictum eſt: nam etiam cernitur Dei judicium, dum quis ob peccata ſua Dei auxilio deſtituitur, & ita in gravius peccatum cadit: nec dicendum videtur, Deum præordinaſſe, ut in

peccati præcedentis pænam in aliud gravius caderet: quamquam quidam ex MM. NN. hoc doceat. Agunt autem in mortibus parvulorum judicia Dei modo iam dicto.

Quod autem D. Auguſtinus non ſentiat, à Deo omnia efficaciter eſſe præordinata manifeſtum eſt: nam lib. 3. de lib. arb. cap. 4. ait: *Sicut tamen præſcientiâ & memoriâ tuâ non cogis fieri, vel eſſe facta, quæ meminiſti vel præſcis, ita nec Deus.* Vide totum caput. Et in ſententiis, quæ apud D. Proſperum: Voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium ſpiritualium corporaliumque motionum: nihil enim fit viſibiliter vel ſenſibiliter, quod non de inviſibili & intelligibili Summi Imperatoris aula aut jubeatur, aut permittatur. Non ergo vult Auguſtinus, omnia à Deo eſſe prævolita, ſed multa tantùm permiſſa. Et lib. 7. de Civ. cap. 30. *Deus omnia miniſtrat, ut & agere ſinat ipſa ſuos motus.* ſunt & alia teſtimonia. Atque hæc fuſiùs, quia ſunt majoris momenti, nec contraria ſententia eſt communis, ut dicit Cenſura, quia Patres nobiſcum ſentiunt, ut oſtendimus, & ex Scholaſticis præter Scotum, qui illam teneat, ſcio neminem: qui tamen ſi noſtra tempora vidiſſet, ſuam mutaſſet ſententiam.

Quod autem in Cenſura tamquam à nobis pro ratione allata adfertur, quòd nempe videatur Deo indignum ejus providentiam ad has minutias deducere; nunquam tale quid diximus; quia oſtendimus Dei providentiam ad omnia minutiſſima perfectè pertingere: Sed hæc ſunt verba noſtra: *Indignum videri providentiâ Divinâ, omnia iſta in particulari efficaciter Deum præordinaſſe ante prævifionem determinationis cauſarum ſecundarum*: Quamquam eum modum loquendi Hieronimus & Nyſſenus non recuſent.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimæoctavæ.

Quæ ad primam partem attinent, ſupra expoſita ſunt: ſolùm explicanda hic eſt probatio, quam Cenſura oppugnat. Sed hìc nulla eſt difficultas, ſi omnia legantur, quæ circa illum locum dicta ſunt. Diximus enim primò, nullum opus moraliter bonum ſolis naturæ viribus factum, eſſe propinquam aut remotam diſpoſitionem ad gratiam, ſed tantùm eſſe ut prohibens impedimenta gratiæ, facienſque hominem minus ine-

 ptum

ptum. Secundò Deum interdum dare ſceleratiſſimis majora auxilia gratiæ, quàm minùs malis. Tertiò, Deum non exſpectare ordinariè, ut infideles vel peccatores faciant quod in ipſis eſt, ſed Deum ſuâ benignitate excitando & pulſando ſæpiſſimè prævenire. Dico præterea, ſi infideles jam à Deo per inſpirationes & motiones ſupernaturales, quales viribus naturæ non poſſunt in ſe elicere, excitati ſibi non deeſſent, Deus illos juvaret ulterius, Item ſi tunc, quando non excitantur, conentur vivere ſecundùm dictamen rectæ rationis & eas motiones quas à Deo accipiunt ut authore naturæ; piè credendum eſt, Deum non diu dilaturum, quin illos ſuâ gratiâ incitare incipiat: cùm enim ſit propenſiſſimus ad benefaciendum omnibus tamquam omnium pater, ut ex Cypr. diximus, decet ut illi imprimis ſuam miſericordiam infundat, qui minùs reſiſtit, ſicut ait Cypr. de parvulis. Non ergò provocant hæc opera moralia Deum ad excitandum ſupernaturaliter, veluti merita de condigno & congruo, ſed tanquam removentia majora Divinæ gratiæ impedimenta. Nihil ergò nobis cum ea ſententia quæ dicit, *Gratiam ſecundùm merita noſtra dari*, cùm contrarium ubique

expreſſe-

expreſſè doceamus. Idem docet D. Ruardus art. 7. pag. 346.

RESPONSIO.

Ad Cenſuram Aſſertionis decimænonæ.

IN hac Cenſura nihil contra me dicitur. Intelligo autem infidelibus dari moraliter ſufficiens auxilium ad ſervandum decalogum, ſicut datur ſufficiens, ut poſſint pervenire ad fidem: non enim manentes in infidelitate & peccatis ſuis poſſunt ſervare omnia præcepta Decalogi; ſed poſſunt peccata deponere & converti, & ſic ſalvari. Ex eo enim quod infideles omnes obligantur ad omnia præcepta moralia, colligitur illos habere ex parte Dei ſufficiens auxilium: *Iuſtè enim inſtat præcepto, qui prævenit auxilio,* inquit D. Leo ſerm. 16, de paſſione. Unde non recte dicitur, quod Deus propter peccatum originale illis deneget auxilium, quo poſſint ſervare præcepta, & tamen infideles damnabiliter peccant, & illa peccata illis imputari, quia ſuâ culpâ, nempe originali, carent auxilio: hoc enim accederet ad ſententiam hæreticorum, ut qui dicunt infidelem neceſſariò peccare, tamen imputa-

ri quia per culpam originalem in hanc neceſſitatem ſeſe conjecerit.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis Vigeſimæ.

DIſtinxi inter prædeſtinationem; & immediatam & efficacem electionem ad gloriam. Prædeſtinatio enim eſt præparatio gratiæ, per quam Deus ſciebat hominem ſalvandum: atque hanc oſtendi ex Scripturis & Patribus non eſſe ex ullis prævifis meritis, ſed ex ſola Dei voluntate. Electio immediata & efficax ad gloriam, eſt præparatio gloriæ ſeu voluntas abſoluta & efficax dandi gloriam. Hanc dixi eſſe probabiliter ex prævifione meritorum; eſt enim gloria poſtremus effectus prædeſtinationis: poſteriores autem effectus poſſumus mereri, ergò quod Deus ab æterno præparaverit efficaci & immediatâ voluntate gloriam, fuit ex prævifis meritis, quæ per gratiam ipſius eramus facturi. Hanc diſtinctionem ponit D. Ruardus a.7. pag. 340. & Driedo de concord. lib. arb. & prædeſt. fol. 54. & multi alii recentiores, & ita reliquos Patres conciliant cum D. Auguſtino: nam

D. Augu-

D. Auguſtinus cum dicit prædeſtinationem non eſſe ex meritis, per prædeſtinationem intelligit præparationem gratiæ. Cum autem alii Patres dicunt prædeſtinationem vel electionem eſſe ex meritis, per prædeſtinationem intelligunt electionem ad gloriam. Cæterum teſtimonia Patrum hoc aſſerentium longum eſſet referre: pauca referam. D. Petrus apud Clementem lib 3. recog. *prævidens*, inquit, *Deus, quod illis poteſtas liberi arbitrii alios quidem faceret bona eligere, alios mala, & per hoc in duos ordines neceſſario propagandum eſſe hominum genus, unicuique conceſſit ordini & locum & Regem.* Clemens Alex. 7. Stromatum: *Quos prædeſtinavit, id eſt, elegit ad gloriam ante mundi conſtitutionem ſciens fore juſtos.* Ambr. lib. 5. de fide c. 3. *non prædeſtinavit priuſquam præſcivit, ſed quorum præſcivit merita, prædeſtinavit præmia.* Hier. q. 10. ad Hedibiam, & alii multi. Tenet etiam apertè Scriptura Mat. 25. ubi dicitur: ſalvandis præparatum eſt regnum à conſtitutione mundi propter merita. Et multis aliis locis. Mediatè tamen poteſt quis dici electus ad gloriam ante præviſionem meritorum; nempe quia electus ad gratiam prædeſtinationis, per quam Deus ſciebat illum

perventurum ad gloriam. Hanc patet eſſe ſententiam Auguſtini, neque probatum eſt contrarium. Quod autem DD. Cenſores dicunt; Auguſt. non agnoſcere aliam electionem quàm abſolutam & efficacem: Reſpondeo, ſi intelligant de electione ad gratiam; concedo: nam Deus efficaciter & abſoluta voluntate, quæ nullam conditionem requirat ex parte hominis, conſtituit homini dare gratiæ ſuæ auxilium. Si verò intelligant de electione ad gloriam; nego: quia promiſſiones vitæ æternæ ſunt conditionatæ, ut docet Concil. Trid. Seſſ. 6. can. 20. Contrarium eſt Calvini lib. 3. Inſt. cap. 22. §. 7.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæprimæ.

VOlebam probare, hominem non ita eſſe efficaciter electum, quin verè & propriè ab ea poſſit excidere, ac proinde non antè præviſionem operum ſaltem conditionalem: idque probavi ex Apoc. *Tene quod habes, ne alius coronam tuam accipiat.* Et quidam DD. quem apud me habeo, his verbis hunc locum ſolvit: reſpondet, D. Auguſtin. cap. 13. de

corrept.

correpť. & gra. Scripturam ita loqui, non quòd corona poſſit amitti, ſed ut homo ſit in timore. Quo loco obiter inſpecto viſum eſt mihi hoc ex Auguſtino colligi, quòd indicat hoc dici, non quòd ſit incertum eos perſeveraturos, ſed ut non altum ſapiant ſed timeant. Patet autem dupliciter intelligi certum eſſe, hominem perſeveraturum. Primò, quia Deus abſolutâ & efficaci voluntate ante omnem præſcientiam conditionatam, vel ſaltem nullâ habitâ ratione præſcientiæ conditionatæ vult hunc perſeverare, unde dat illi talem gratiam, ex cujus mera efficacia ſequatur infallibilis perſeverantia, & ſic non bene conſtant hæc verba cum illo loco Apoc. nam hinc videtur ſequi, hominem abſolutè loquendo non poſſe amittere coronam: non enim poteſt non fieri, quòd ex tali efficaci & abſoluta ordinatione certum eſt. Sed Auguſtinus de tali certitudine non eſt intelligendus. Unde ſecundò poteſt dici, certum eſſe, hunc hominem perſeveraturum, quia Deus decrevit illi dare talem gratiam, cum qua de facto videbat ipſum perſeveraturum, ſicut ſupra dictum eſt: & cum hoc optimè conſtat, quòd homo veriſſimè & propriiſſimè poſſit amittere coronam, in ſenſu

tamen

tamen compoſito. Verum etiam eſt, certum eſſe, talem hominem perſeveraturum & non poſſe non perſeverare. Et ſic intelligendus eſt D. Auguſtinus, ut patet ex ſupradictis, & ex hoc ipſo capite. Unde hic Auguſtini locus non eſt ex aere citatus, ſicut nec alii quibus uſus ſum, licet interdum fiat, ut aliter D. Auguſtinum intelligamus, quàm fortè aliqui Magiſtri NN. neque tamen mirum videri debet, ſi interdum in citando vel capitum numerus non rectè aſſignetur, vel ipſa verba Authorum non tam accuratè citentur, quia ſæpe fit, ut & ipſi bene legentes malè ipſos numeros annotemus, vel etiamſi bene annotati & citati fuerint, ab auditoribus malè ſcribantur: quorum alterum vel utrumque in hac Cenſura accidiſſe comperi. Reliqua, quæ in Cenſura dicuntur, non ſunt contrà nos.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ ſecundæ.

Non videntur DD. Cenſores percepiſſe meam mentem; nam non dico ſufficere hominibus in ſtatu naturæ lapſæ

lapſæ dona habitualia, ut poſſint perſeverare ſi velint, quæ ſufficiebant in ſtatu innocentiæ: per hæc enim ſola homo lapſus nullo modo poteſt perſeverare; ut eleganter D. Auguſtinus docet cap. 22. de dono perſev. Et mirum eſt hoc nobis imponi; nam luculenter in hac materia de prædeſtinatione docui contrarium, oſtendens in quo differat gratia neceſſaria homini lapſo ad perſeverandum, à gratia Adami. Nempe homini lapſo præter omnia dona habitualia ad perſeverandum neceſſariam eſſe crebram excitationem, ſingularem protectionem, directionem intellectus &c. quæ Adamo ſecundum ſententiam D. Auguſtini non erant neceſſaria; gratia ergo, quâ homo lapſus poteſt perſeverare, præter dona omnia habitualia includit hæc dicta auxilia & protectiones; & cum hac gratia ita poteſt perſeverare, ut poſſit etiam non perſevere. Sic Adam per dona habitualia poterat perſeverare, ut poſſet etiam non perſeverare, & in eo eſt ſimilitudo inter gratiam Adami & hominis lapſi: non enim putamus præter dictas gratias neceſſariam eſſe ad perſeverandum gratiam illam quæ ſuâ efficaci præoperatione faciat hominem perſeverare. Quomodo autem di-

cat Auguſtinus, nos non tantum egere gratiâ, quâ poſſumus, ſed etiam quâ faciamus, ſupra expoſitum eſt; quia non tantùm egemus libero arbitrio etiam habitibus inſtructo, ſicut Adam, ſed etiam ſingulari curâ, protectione, excitatione que crebrâ, quibus fiat, ut faciamus & de facto perſeveremus.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ tertiæ.

Oportet videre quâ occaſione ita argumenter: volo enim probare, hominem non eſſe efficaciter electum ad certum gloriæ gradum ante omnem præviſionem etiam conditionatam operum, idque contra Calvinum, qui ex hoc colligit, omnia opera hominum in particulari ſecundùm omnes ſuas circumſtantias & menſuras eſſe efficaciter præordinata, idque ſemotâ omni præviſione. Vide Calvinum lib. 3. Inſt. cap. 21. §. 5. & 7. & 22. Excludit omnem præſcientiam & acriter impugnat noſtram ſententiam. Hanc ſententiam refuto, quia ſi opera omnia, nullâ habitâ ratione præſcientiæ etiam conditionatæ

ditionatæ (nam contra talem hic diſputabam præordinationem) ſunt à Deo ſecundùm omnes ſuas circumſtantias & modos, ut exactè tantæ gloriæ reſpondeant, efficaciter præordinata , ergo homo non poteſt aliud nec aliter operari , quàm ſicut à Deo decretum eſt : quia ſi decrevit ut hoc momento faciam talem actum, tam intenſum &c. idque abſoluta & efficaci voluntate , quomodo id potero evitare ? Sed hoc ſupra ſecùs probatum eſt. Videatur D. Thom. q. 6. de verit. a. 3. ubi vult non omnia media prædeſtinationis ante omnem præſcientiam eſſe præordinata. Dico ergò , ſicut dixi ſupra , non eſſe hanc Auguſtini ſententiam, quâ omnes ſalvandi ſunt electi efficaciter ad gloriam , & ad omnia media prædeſtinationis nullâ habitá ratione præſcientiæ ; hoc enim nihil eſt aliud dicere , quàm Deum abſolutâ voluntate velle , ut hic tantam gloriam habeat , & tot ac tantas actiones talibus locis , momentis , modis faciat. Sententia ergo Auguſtini eſt , Deum elegiſſe omnes , qui ſalvantur, ad talem gratiam , cum qua ſi eis daretur , ſciebat eos ſalvandos, & nihil præjudicabat libertati: actualem verò perſeverantiam eſſe donum Dei propter Chriſti merita , non eſt dubitandum

bitandum ſicut ſupra explicatum eſt ex D. Auguſtino.

Ad illud autem, quod in Cenſura dicitur: ſi ex Dei abſoluta præordinatione, qua aliquid ante omnem prævisionem efficaciter præordinat, ſequitur illam rem neceſſariò futuram, etiam ſequetur Deum ſibi neceſſitatem imponere: reſpondeo retorquendo: id quod Deus abſolutâ voluntate ante omnem præſcientiam præordinat, poſitâ hâc præordinatione, hoc nullo modo poteſt impediri; ut patet in præordinatione creationis mundi & partium ejus, nam hæc præordinata ſunt ante omnem præſcientiam, & ideo nemo poteſt impedire, quo minùs ſuo tempore ſint facta: ergò ſimiliter, ſi omnia noſtra opera abſolutâ voluntate ſint præordinata & prævolita, nullâ habitâ ratione præſcientiæ, nullo modo poſſunt impediri.

Patet à paritate rationis; quia utraque æque abſolutè à Deo ſunt prævolita. Cùm ergò opera noſtra facile poſſint impediri, ſignum eſt, non eſſe efficaciter præordinata ſicut ſunt partes mundi &c. Poſitâ enim divinâ præordinatione, impoſſibile eſt impedire, quod abſolutè ante omnem præſcientiam præordinatum eſt:

omne

omne enim efficaciter præordinatum habet neceſſariam habitudinem cum præordinatione. Neque ideo detrahitur Deo libertas; quia Deus ità præordinat, ut poſſit non præordinare: nos autem non poſſumus facere ut non præordinet in ſua æternitate; unde ipſe manet liber, nos tamen non ſimiliter maneremus. Deinde libertas Dei eſt alterius rationis quam noſtra; Deus enim eſt liber, quia in ſua æternitate poteſt quamvis rem præordinare vel non præordinare; ubi tamen præordinata eſt, voluntas ipſius manet determinata neceſſitate immutabili ita ut in ſenſu compoſito non poſſit contrarium: noſtra autem voluntas nunquam ita determinatur ad actus quos elicit, quin illam excitationem poſſit excutere, & eâ ſtante (ſi non eſt actus voluntatis) poſſit velle contrarium. Externa ergo creatio eſt libera, quia velle Dei eſt liberum, à quo tamen velle neceſſariò procedit: actus autem eliciti à noſtra voluntate intrinſecè ſunt liberi, & proinde nullam cauſam habent, unde neceſſariò procedant. Unde nihil hoc Scripturæ Sacræ repugnat, ſi dicamus probabiliter argumentando difficile eſſe tueri libertatem, ubi omnia in particulari efficaciter ponuntur à Deo

ante omnem prævisionem etiam conditionatam prævolita & præordinata: ſed potius Sacræ Doctrinæ repugnat, dicere, quod Deus non minorem nobis neceſſitatem imponit, ad facienda omnia opera noſtra hic & nunc, quàm ipſe ſibi imponit, cum abſolute aliquid decrevit facere. Item dicere, ſicut Deus, cùm aliquid decrevit, non poteſt aliter facere, quàm decrevit, ita non poſſumus nos aliter facere ea, quæ facimus, eo quod omnia jam ſupponantur decreta. Sanè ex hoc fundamento hæretici noſtri libertatem tollunt & Deum authorem malorum faciunt, quibus hactenus non vidi ferè aliter à Catholicis reſponderi, quàm negando talem præordinationem. Hæc ergò argumentatio erat ſatis probabilis, ut non tam duram mereretur cenſuram.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ quartæ.

QUomodo hæc ſint præordinata à Deo, in quæſt. de præſcientia fusè explicui, ubi oſtendi, Chriſti paſſionem &

& Sanctorum tormenta non fuiſſe à Deo præordinata in particulari cum omnibus ſuis circumſtantiis ante prævisionem malitiæ Judæorum & Tyrannorum; quam Deus prævidebat fore talem, ut ſi permitterentur, tali & tali modo Chriſtum interficerent & Sanctos cruciarent: Quo præviſo per præſcientiam conditionatam, pro ſua ſapientia permiſit, quæ, quantum & quando illi viſum fuit, & voluit ſuis ſanctis dare robur & fortitudinem, ut conſtanter ea perferrent. Et hoc vult Apoſt. ad Philipp. 1. Scilicet donum Dei eſſe, non tantum credere, ſed etiam patienter ferre pro Chriſto illatas injurias. Tormenta ergò à Deo permiſſa ſunt, ſed patienter perferre tormenta, poſitivè à Deo donatur. Ad teſtimonium ex Actis aliàs reſpondi: non enim decrevit Deus abſolutâ voluntate, ut Chriſtus flagellaretur, conſpueretur & blaſphemaretur, qui ſenſus placuit Calvino, ſed altiſſimo conſilio decrevit permittere, & Chriſto præceptum dedit, ut hæc perferret. Similes ſunt multæ locutiones in Scriptura S. Similiter percuſſit Pater Chriſtum, non quòd Judæis influxerit, malitiam temperaverit & formaverit in iſtorum ſuppliciorum inflictione, ſed quia eum non

protexit,

protexit, ſed impiis percutiendum expoſuit. Ita Catholici hæreticis reſpondere ſolent.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ quintæ.

SAtis dictum eſt de hoc loco ſuperiùs, brevitèr tamen dico, me non velle dicere, nec ullo modo indicare Vetus Teſtamentum, id eſt, Legem & Legis promiſſa & comminationes fuiſſe aliquo modo ſufficientes, ut homo poſſet aliquo modo ambulare in præceptis Dei ſine ſpiritu interno: hoc enim prorſus eſt Pelagianum. Sed quia in Veteri Teſtamento etiam multis dabatur gratia interior, & auxilium ut poſſent ambulare in præceptis, ideo dico hic promitti abundantiorem gratiam: volebam enim oſtendere tantùm ex illo loco non probari, præter gratiam excitantem & adjuvantem ſuperiùs explicatam, eſſe aliam quandam neceſſariam, quæ efficaciter faciat, ut faciamus; quaſi in Veteri Teſtamento habuiſſent gratiam efficacis inoperationis, & hæc promitteretur his verbis, ut putant Magiſtri

Noſtri,

Noſtri, & etiam vult Calvinus: nam talem gratiam dicimus hic non promitti, ſed gratiam & dona habitualia, auxilium excitans & adjuvans, quibus fiat, ut & impiis detur cor novum, & piis detur amplius, quàm in Veteri Teſtamento, & utriſque; ut ſanctè vivant eo modo, quo ſupra ex Auguſtino explicatum eſt.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæſextæ.

QUicumque credunt filio, rectè dicuntur dari filio; nam facti ſunt ejus diſcipuli, idque operâ patris. Hos autem omnes non vult pater abſolutè ſalvos fieri, quia multi ex illis damnantur. Aliquando tamen propriè dicuntur prædeſtinati dati filio; ſicut fortè Joan. 17. cum ait: *Non pro mundo rogo ſed pro eis, quos dediſti mihi.* Quamquam ad litteram ibi tantùm videatur loqui de Apoſtolis; nam pro aliis credituris per Apoſtolos, & deniquè pro toto mundo rogat paulò inferiùs, & hos vult pater abſolutè fieri ſalvos, ſed non ante omnem præſcientiam ſaltem conditionatam. Quod autem Cenſura infert; ergo univerſi homines etiam

 repro-

reprobi ſunt dati filio: Reſpondeo, etiam hunc modum loquendi non abhorrere à Scripturis, ut patet Pſal. 2. ubi etiam reprobi dantur: & Matt. ult. *data eſt mihi poteſtas omnis.* item hoc loco, *omnia tua mea ſunt*: & imprimis de reprobis, qui credunt & ſunt in gratia, ſicut ſunt filii, ita etiam poſſunt dici dati Chriſto. Alii etiam ita dati ſunt, ut ipſius ſubſint poteſtati: ſed videndum, quâ occaſione quidque dicatur.

RESPONSIO.

Ad Cenſuram Aſſertionis Vigeſimæ ſeptimæ.

HUnc locum Apoſtoli Amb. Chryſoſt. Theop. & multi alii Patres generatim exponunt de omnibus Chriſtianis diligentibus Deum, & non tantùm de prædeſtinatis: & ratio eſt, quia hortatur Apoſt. Rom. ad patientiam in perſecutionibus ut ait Chriſ. & patet ex præcedentibus; idque hoc argumento, quia omnes calamitates iis, qui diligunt Deum, cedunt in magnum meritum, nempe ſi velint manere in dilectione. Non videtur autem loqui de prædeſtinatis tantùm, quia non ſolemus ſic exhortari, ferte patienter injurias; quia, ſi eſtis prædeſtinati, omnia cedent vobis in bonum. Hinc patet reſponſio ad argumentum Cenſuræ; Nam

Nam tribulationes cooperantur in bonum generatim omnibus, quamdiu manent in Charitate. Illa autem particula, *ſecundùm propoſitum*, variè à Patribus exponitur, ex quibus ea maxime videtur accedere ad mentem Apoſtoli, quæ dicit, ſecundùm propoſitum vocari idem eſſe, quod ex divinà benignitate & liberalitate, quæ vocat gratìs, quos vult, ſicut ab æterno propoſuerat, non ex meritis. quæ expoſitio videtur probari 2. ad Timoth. id eſt, ubi vocavit nos ſancta vocatione non ſecùndùm opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum. Aliter accipit D. Auguſtinus, cujus expoſitio ſubtilis eſt, nec illam rejicio tanquam falſam.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis Vigeſimæ octavæ.

IN hac propoſitione non puto eſſe aliquid D. Auguſtino contrarium; non enim probarunt DD. Cenſores, *Iacob dilexi*, ſignificari ſecundùm D. Auguſtinum præparari vitam æternam Jacob ante omomnem præviſionem meritorum. *Eſau odio habui*, id eſt, deſtinavi Eſau excludere à regno. Imo D. Ruardus a. 7. p. 340. & Driedo ſup. volunt D. Auguſtinum per dilectionem non intelligere electionem ad gloriam ſed ad gratiam: & patet.

patet ex D. Auguſtino lib. 1. q. 2. ad Simpl. ergo loquendo de poſteritate Jacob & Eſau; de qua omnes fere Patres hunc locum exponunt, expoſui hunc locum juxta mentem D. Auguſtini: & licet non omnia dixerim quæ ipſe, nihil tamen contra ipſum. Quod autem illud, *Eſau odio habui*, non poſſit exponi, Ego ante omnem prævisionem demeritorum, Eſau à regno excludere ſtatui, patet; quia & ſecundum Auguſtinum, & ſecundum ſententiam quorumdam Magiſtrorum Noſtrorum, illud velle abſolutum Deus non habuit ante prævisionem demeritorum: illud ergo odium ſi intelligatur eſſe ante prævisionem malorum, quæ Eſau & ejus poſteritas geſſit, nihil poteſt eſſe aliud quam nolle dare gratiam illam & beneficia majora, cum quibus fuiſſent ſalvati, qualia dedit Jacob; quo tamen non excluduntur minora. Non ergo metuimus retia veritatis, qui quærimus veritatem, ſi quo modo eam aſſequi poſſumus. Attulimus etiam aliam expoſitionem hujus loci Patrum teſtimoniis ſatis munitam.

RES-

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis Vigeſimæ nonæ.

RESpondeo, hoc argumentum videtur probabiliter procedere, præſertim de reprobis: nam quod abſolutâ & efficaci voluntate, nullâ habitâ ratione præſcientiæ, decretum eſt; non bene intelligo, quomodo poſſit declinari, ut ſupra oſtendi. Quod autem de parvulis objicitur: reſp. In illo argumento agi de adultis ratione utentibus, ut patet ex ſcriptis: ſicut enim hi ante prævisionem demeritorum non ſunt efficaciter prædeſtinati ad pœnas, ita nec parvuli ante prævisionem mortis in peccato originali, ut alio modo probavi. Et his quidem locis ſemper accepi reprobationem pro efficaci voluntate excludendi à gloria, & deſtinandi ad pœnas: nam ſi pro permiſſione accipiatur, quam Deus habet, præſuppoſitâ tamen præſcientiâ conditionatâ, ſic poſt ſolius peccati originalis abſolutam præviſionem dici poteſt, factam eſſe reprobationem.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis Trigeſimæ.

JAm ſupra explicuimus, quomodo ſe habeat præſcientia ad prædeſtinationem, & quomodò ſit certa præſcientia conditionata; non ex mera præordinatione, ſicut numerus ſtellarum erat Deo certus ab æterno: ideo enim certus erat, quot futuræ erant ſtellæ, quia ipſe nullâ habita ratione præſcientiæ voluit tot condere & non plures vel pauciores. Vnde abſolutè hoc erat impoſſibile impedire: numerum vero prædeſtinatorum non ſic putamus præordinatum; ſed Deum primo conſideraſſe, quid liberum arbitrium cujuſque hominis cum tali vel tali providentiæ & gratiæ modo eſſet acturum: deinde voluiſſe dare eum providentiæ modum, cum quo ſciebat, Petrum & Paulum &c. ſalvos futuros: & hæc voluntas eſt prædeſtinatio, quæ ſecundùm omnes ſuos effectus præſupponit præſcientiam conditionatam, quâ præſcit, quid liberum arbitrium ſecundùm quamque excitationem eſſet acturum, quæ eſt omnium occultiſſima; tantùm abeſt

abeſt, ut à nobis poſſit haberi. Secundùm effectus poſteriores præſupponit præſcientiam abſolutam effectuum priorum: ideò enim vult augmentum gratiæ, quia prævidet ipſius meritum. Pro quo notandum, tripliciter poſſe Deo aliquid eſſe certum ab æterno. Primò, ex mera præordinatione, ut numerus ſtellarum futurarum. Secundò, ex mera præſcientia, ut peccata. Tertiò, ex præordinatione partim præſupponente præſcientiam conditionatam, partim abſolutam, ut numerus prædeſtinatorum. Unde rectè dicitur, hunc numerum non eſſe certum ex mera præordinatione. Hanc ſententiam de præordinatione omninò puto eſſe D. Auguſtini; nec ego ſolus, ſed multi hâc tempeſtate viri doctiſſimi. Et licet, cùm hanc materiam docerem, nonnihil dubitaverim de electione ad gloriam, obſcuritate quorundam locorum D. Auguſtini impulſus, jam tamen illis locis bene examinatis, & conſultis iis, qui in D. Auguſtino ſunt verſatiſſimi, vix dubito, quin D. Auguſtinus etiam in hoc puncto nobiſcum ſentiat.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis trigeſimæ prima.

Quam juſte hæc, quæ Cenſura imponit, de noſtra ſententia dici poſſint, facilè intelliget is, qui vel lectiones noſtras perceperit, vel hanc reſponſionem meam diligenter perpenderit. Nos enim docuimus, Deum dare omnibus hominibus auxilium ſufficiens, quo poſſint vitare peccata, & quo poſſint pervenire ſenſim ad juſtitiam & ſalvari, ſi ſibi non deſint. Contraria ſententia dicit, multos ita à Deo deſeri, ut non poſſint deſiſtere à peccato, ita ut neceſſariò peccent, tamen imputari illis, quia per peccatum originale ſe in eam neceſſitatem conjecerunt: Item Deum non dare omnibus adultis pro loco & tempore ſufficiens auxilium, ut ſenſim poſſint pervenire ad juſtitiam: imò juſtis non prædeſtinatis ſubſtrahi auxilium, idque in pœnam peccati originalis: Nos docemus, Deum non impedire vel diſponere cauſas naturales & liberas, ut parvulis non poſſit applicari Baptiſmus: Contraria ſententia docet,

ſententia docet, Deum non ſolùm permiſſivè, ſed etiam directè cauſas impedire & diſponere, ut parvulis non poſſit applicari Baptiſmus. Nos docemus, Deum non omnia in particulari cum omnibus ſuis circumſtantiis efficaciter ante omnem prævisionem præordinaſſe & prævoluiſſe, ſed omnia præſcivisse, & quædam pro ſuo arbitratu permittere, quædam non. Contraria ſententia vult, omnia à Deo abſoluta voluntate eſſe præordinata, ante omnem præſcientiam, ſicut præordinatæ ſunt præcipuæ partes univerſi. Nos docemus, hominem ſufficienter excitatum & præparatum à Deo ad aliquod opus poſſe conſentire & non conſentire, prout voluerit. Contraria ſententia vult, hoc eſſe falſum, & nunquam tam ſufficientem eſſe excitationem, ut in hominis libertate relinquatur, ut cum illa excitatione & auxilio comitante conſentiat vel non conſentiat: nam hoc eſſet, inquiunt, gratiam Dei voluntatis pediſſequam facere, & gratiam Novi Teſtamenti tollere; ſed requiri prætereà aliam quandam gratiam, quæ faciat inoperandò hominem conſentire &c. & hanc gratiam eſſe propriam prædeſtinationem & eam requiri ad ſingulos actus bonos. Nos docemus,

eſſe homines, alios quidem electos immediatè & efficaciter ad gloriam, alios deſtinatos ſuppliciis, nullâ habitâ ratione præſcientiæ: Contraria ſententia vult, Deum habitâ ſolius præſcientiæ peccati originalis ratione, hos deſtinaſſe gloriæ & tantæ gloriæ, illos ſuppliciis; & media omnia efficaciter præordinaſſe ſecundùm omnes circumſtantias ſuas, nullâ præſcientiæ habitâ ratione.

Hæc ſunt dogmati noſtra, & quæ illis ſunt contraria, ut patet ex noſtris lectionibus & noſtro reſponſo. Jam perpendatur, utra magis conſentiant S. Scripturæ, Patrum teſtimoniis, & rationis æquitati, & utra faciliùs defendi poſſint contra hæreticos.

PERORATIO.

HÆc ſunt, Eximii Domini Magiſtri Noſtri, quæ veſtris Cenſuris breviter exiſtimavimus reſpondenda. Ex quibus intelligi poteſt, noſtra dogmata *peregrina* non eſſe, nedum *periculoſa* & *offenſiva*: ſed veſtra potiùs *peregrina* eſſe (nam *offenſiva* & *periculoſa* non eſt meum dicere) ut qui ab ea doctrina recedatis, quam veſtra

veſtra Facultas, cùm & florentiſſima erat & nullá adhuc erroris labe aſperſa, tradebat. Nam, ut omittam Adrianum Papam & D. Driedonem & Reverendiſſimum Epiſcopum Rithovium, qui bonam partem noſtrorum dogmatum expreſsè tradunt; D. Ruardus, quem Sanderus ait ſui temporis eruditiſſimum fuiſſe, omnia iſta dogmata, quæ in Cenſura reprehenduntur, ita expreſsè tradit a. 7. de lib. arb. ut nullâ tergiverſatione negari poſſit, & inſpectis locis à me citatis, apertè poterit quivis animadvertere: quod etiam facit ſubtiliſſimè Reverendiſſimus Epiſcopus Cunerus. Itaque hæc Cenſura non tam contra nos eſt, quàm contra antiquam veſtræ Facultatis doctrinam.

Sed dicitis, Ruardum potiùs in Scholaſticis, quàm in Auguſtino verſatum fuiſſe. Ad quod reſpondeo, quàm excellenter D. Ruardus in Auguſtino fuerit verſatus, patet abunde ex ipſius ſcriptis; nullum enim ferè eſt teſtimonium D. Auguſtini ad hanc materiam pertinens, quod non diligentiſſimè ipſe excuſſerit: neque huic oberat ſed maximè proderat diligens Scholaſticorum lectio; nam ſine illis D. Auguſtini doctrina vix poteſt intelligi: Si enim D. Auguſtinus legatur, ante-

quam

quam ſolida ex Scholaſticis fundamenta dogmatum jaciantur; multi ex eo malè intellecto errores peſtiferi haurientur, ut experientiâ teſte ſatis conſtat. Hinc perſpicuum eſt, non nos peregrinam doctrinam invehere, ſed antiquam inſtaurare, quæ olim in hac Univerſitate, & jam ferè toto terrarum orbe celebratur.

RESPONSIO AD CENSURAM

Facultatis Sacræ Theologiæ Duacenſis.

PRÆFATIO.

Quia Cēnſura Duacenſis parùm à Lovanienſi differt, & dumtaxat verbis & teſtimoniorum congerie ad rem parùm pertinentium fuſior eſt, paucis reſpondebo, in cæteris Lectorem ad Apologiam, quâ reſpondetur Cenſuræ Lovanienſi, remittens. Miror autem homines etiam ea, quæ optimum & planiſſimum ſenſum admittere poſſunt, ferè ſemper in deteriorem rapere partem; cùm tamen charitas Chriſtiana nos doceat, alterius dicta in meliorem ſenſum eſſe interpretanda, quando de contraria Authoris mente non conſtat. Sanè experior illud in his Cenſuris, quod queritur D. Hieron. in Apologia pro lib. contra Jovin. ubi ſe defendit adverſùs quoſdam, qui varias hinc inde ex Scriptis

ejus ſententiolas collegerant, non reſpicientes, quorſum, aut quâ occaſione, aut quo ſenſu ab Authore prolata eſſent. Quod quàm ſæpè hic quoque evenerit, ex paucis quæ hìc annotabimus, patebit.

Quòd ſi illi, qui hæc noſtra dogmata tam graviter eminùs inſectantur, vellent nobiſcum coram Viris gravibus & intelligentibus hinc inde à partibus eligendis cominùs agere, facilè hæc tota Controverſia dirimi poſſet, quæ ſcripto nunquam ſopiri poterit, ut Viri prudentes facilè intelligunt.

De Scriptura Sacra.

RESPONSIO

Ad 1. & 2. Aſſertionis Cenſuram.

NOn negamus totam Scripturam eſſe Dei verbum; & modo quodam à Spiritu S. immediatè dictatum, denique per Scriptores Sacros locutum, eoſque eſſe Spiritus ſancti calamos, ſed hoc tantùm dicimus, non eſſe neceſſarium ad authoritatem Scripturæ S. ut omnes omninò ſententiæ & omnia penitùs verba à Spiritu S. novâ & poſitivâ illuſtratione ſint

ſint inſpirata, quâ Authores hagiographi novo modo & novo lumine cognóſcerent etiam ea, quæ ante vel viſu, vel auditu, vel alio modo certò & infallibiliter cognoverant, & omnia verba quoad ſonum materialem novo modo mentiieorum objecta fuerint, quod puto me ſatis declaraſſe in altera Apologia; hanc enim rationem exiſtimo Prophetis fuiſſe propriam, & aliis Scriptoribus, quotiesſcumque aliquid Propheticâ illuminatione ſcribebant: ubi autem ea litteris mandabant, quæ experientiâ, vel ratione naturali, vel alio modo infallibiliter cognoverant, puto ſuffeciſſe, ut peculiari inſtinctu Spiritus Sancti ad ſcribendum ea quæ jam cognoverant, incitarentur, & peculiari ipſius aſſiſtentiâ in omnibus ſententiis & verbis dirigerentur; nec opus habuiſſe novâ aliquâ revelatione aut illuminatione: quod etiam docet P. Bell. cont. de verbo Dei c. 15. Quod autem dicitur in Cenſura Patres docere, in ſingulis Scripturæ verbis, ſyllabis, litteris, apiculis, punctis latere mirificos ſenſus, & profunda myſteria; hoc ita intelligendum eſt, ſicut illud Domini Matt. 5. *Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Nam dicere in ipſis materialibus litteris

aut

& ſyllabis & verbis ubique latere ſingula myſteria, videtur figmentum Judaicum, qui omnes litteras & omnia verba numerant & ſingulorum numerum expendunt, & inde ſe multa myſteria juxta artem Cabaliſticam colligere putant. Deinde noſtra Scriptura multò inferior erit Scripturâ Hebraicâ vel Græcâ; non enim puto DD. Cenſores exiſtimare, in ſingulis verbis, ſyllabis & litteris noſtræ interpretationis ſimilia myſteria latere: unde infinitis myſteriis noſtra Scriptura tranſlata carebit. Neque verum eſt, Patres in ſingulis verbis & ſyllabis myſteria ſcrutari, ut patet ex eorum commentariis. Quamquam non negaverim, in multis occulta myſteria recondi: ſicut Iſaiæ 4. in illo verbo *Lemarbe*, & 3. Reg. 3. in illo *Nimerezeth*, & aliis multis: licet etiam ea in quibus non ſunt talia myſteria, ſint quodammodo. à ſpiritu S. immediatè inſpirata; ut dictum eſt. Quod autem D. Hier. ait in Apocalypſi quot verba tot eſſe Sacramenta, hyperbolicè dictum eſt; vult enim dicere Apocalypſim plenam eſſe Sacramentis. Unde patet, nihil contra nos facere, quæ hic congeruntur: probandum enim eſt, Scriptoribus S. omnes & ſingulas ſententias novâ illuminatione,

ne, ſicut Prophetis in revelatione ſupernaturalium fiebat, fuiſſe dictatas, & omnia verba ita menti fuiſſe objecta, ut Spiritus *S.* nuſquam iis liberum reliquerit uti hoc vel illo ſynonimo. Neque verum eſt, quod hic indicatur, eſſe errorem Aetii alia fuiſſe immediatè inſpirata, alia mediatè; quanquam etiam hoc nihil ad rem pertineat, multa Apoſtolos & Prophetas ſcripſiſſe ut homines, ſicut noſtri Hæretici dicunt de Patribus, cum eorum teſtimoniis premuntur, Patres homines fuiſſe.

RESPONSIO

Ad Aſſertionis tertiæ Cenſuram de Scriptura.

HÆc propoſitio tantum intelligitur de poſſibili: nimirum ſi aliquod opus pium & ſalutare humanâ induſtriâ conſcriptum, publicâ Spiritus S. atteſtatione approbaretur tanquam omnibus ſuis Partibus veriſſimum & ſaluberrimum, illud habiturum authoritatem S. Scripturæ; nec minus cenſendum hæreticum, qui aliquid in eo negaverit, quàm qui aliquam ſententiam S. Scripturæ inficiatus fuerit. Quo modo ſumma ea Veritas uti potuiſſet, ſi

ei placuiſſet. Puto tamen (quamvis in propoſitione dixerim: *qualis fortè eſt lib. 2. Machab.*) Deum hoc modo uſum non fuiſſe , & etiam lib. 2. Machab. ex peculiari inſtinctu & infallibili aſſiſtentia Spiritus S. ſcriptum eſſe.

RESPONSIO

Ad Cenſuram primæ Aſſertionis, de Prædeſtinatione.

SIve electio efficax & abſoluta ad gloriam , ſeu præparatio gloriæ in particulari ſingulis ſalvandis facta prior ſit prædeſtinatione , ut DD. Cenſores volunt, ſive contra prædeſtinatio prior cenſeatur , quàm abſoluta gloriæ volitio, ut nos probabilius putamus, nihil ad præſentem deſcriptionis D. Auguſtini explicationem refert : nam prædeſtinatio propriè eſt præparatio , non gloriæ , ſed totius ordinis Divinorum beneficiorum, quibus certiſſimè pervenitur ad gloriam: quam certitudinem originaliter pendere ex cognitione conditionata, ſatis oſtendimus in altera Apologia , quod etiam docet D. Ruardus a. 7. p. 326. dicens, hæc tamen eſt differentia inter filios & alios , quod

quod illi vocentur, quo modo diſpoſitos novit Deus, ut ſequantur, ſicut dicit Aug. q.2. ad Simpl. & pag. 347. & Dried. de capt. & red. p. 133. & de conc. liberi arb. pag. 51. Quibus locis prædeſtinationi, id eſt abſolutæ voluntati dandi gratiam quâ quis ſalvatur, præſupponunt hanc præſcientiam conditionatam. Et ſanè non video, quomodo hoc negari poſſit, cùm hæc præſcientia ſit in Deo actus neceſſarius, prædeſtinatio autem actus liber, omnis autem actus neceſſarius prior ſit ratione libero. Neque hinc ullo modo ſequitur, prædeſtinationem eſſe ex præviſione boni uſus liberi arbitrii, ut Cenſura concludit; non enim ideo Deus præparavit alicui eam gratiam, cum qua prævidebat eum ſalvandum, quia prævidebat illum bene uſurum illâ gratiâ: nam infinitis aliis eam gratiam non præparavit, quos tamen eâ bene uſuros, ſi haberent, prævidebat. Unde concedimus omnia teſtimonia ſequentia, quibus probatur prædeſtinationem non eſſe ex præviſis meritis, ſed ex gratuita Dei voluntate. Hinc etiam patet, articulos iſtos Pariſienſes nihil contra nos facere. Reliqua in altera Apologia.

RESP.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis ſecundæ.

HÆc propoſitio, Deum ex parte ſuà omnibus dare auxilium ſufficiens ad ſalutem, eſt fere omnium Patrum, Dionyſii de Cæleſt. Hier. cap. 9. Irenæi lib. 4. cap. 71. Clement. Alex. in parœn. ad gentes. Orig. lib. 3. Periarch. c. 1. probat hoc fusè & eleganter Chryſoſt. variis locis hom. 7. in Joan. hom. 16. in epiſt. ad Hebræos & alibi frequenter. Cyril. Alex. lib. 1. in Joan. cap 11. Theoph. & œcum. in illud prioris ad Timoth. 2. *qui vult, omnes homines ſalvos fieri*: Damaſc. l. 2. de fide cap 29. Ambr. in illud prioris ad Timoth. 2. & ſerm. 8. in Pſal. 118. D. Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. de nat. & gra. cap. 67. de ſpir. & litt. cap. 33. de prædeſt. & gra. c. 14. D Proſp. lib. 2. de vocat. gent. cap. 4; 9. & 10. & clariſſimè DD. Scholaſtici Alex. Alenſ. p. 3. q. 67. memb. 5. art. 3. dicens, Deum omni facienti quod in ſe eſt, dare ſufficientem gratiam, ſcilicet prævenientem, quæ pertinet ad ordinem ſuper-

ſupernaturalem. Albert. in 2. Sent. d. 28. q. 1. ad 4. Nobis poſſibile eſt aliquid facere, quo facto habebimus poteſtatem ex gratia: hoc autem eſt facere, quod in nobis eſt. D. Thom. lib. 3. contra gent. cap. 159. Deus, quantum in ſe eſt, paratus eſt aliis gratiam ſuam dare; vult enim omnes homines ſalvos fieri: ſed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant. Et ibidem Ferrarienſis dicens; Deus auxilium, quo intrinſecè & extrinſecè ad bonum dirigimur, omnibus impendit. Scotus in 1. Sent. diſt. 46. Deus vult omnibus dare adminicula communia antecedentia ad ſalutem, quibus homo poteſt ſufficienter bene vivere & ſalvari. Lib. 1. de nat. & gra. cap. 15. ubi hoc fuſè probat, contrarium exiſtimans erroneum. And. Vega lib. 13. in Concil. Trid. can. 4. & 13. Adrian. Papa in 4. d. 45. Nego, inquit, quòd Deus umquam viatori decreverit non dare gratiam pro tempore vitæ ſuæ; ſeu non ſufficienter ſaltem aſſiſtere; ut poſſit converti. Ruard. art. 7. pag. 352. dicit, hanc ſententiam eſſe magis piam. Driedo de capt. & redempt. pag. 129. dicit, pium eſſe credere, omni homini habenti uſum liberi arbitrii pro loco & tempore

ſufficiens excitationis internæ auxilium diſpenſari, quo valeat juſtificari. D. Cuner. lib. de gra. Criſti, cap. 13. ubi dicit, hanc ſententiam eſſe probabiliorem. Bart. Medina 1. 2. q. 109. art. 10. Deus nemini hominum denegat auxilium gratiæ neceſſarium & ſufficiens ad ſalutem; & quilibet homo viator poteſt ad Deum converti, & ſalvari, & oppoſitum aſſerere, eſt dogma temerarium & hæreticum. P. Robertus Bellarm. in 1. 2. quæſt. 109. art. 10. Lovanii, poſtea Romæ in quæſt. de lib. arb. valde fuſe, ubi reſpondet ad omnia loca D. Aug. quæ huic ſententiæ videntur repugnare, dicitque contrariam ſententiam eſſe omnium hæreticorum hujus temporis. Denique quotquot hac tempeſtate ſcribunt contra hæreticos. Probari poteſt etiam ex plurimis Scripturis, ut oſtendi in prælectionibus. Ex quibus patet, hanc propoſitionem omnino eſſe tenendam, & in Hiſpania ſine periculo judicij S. Inquiſitionis non poſſe negari: tantum abeſt, ut accedat ad errorem Maſſilienſium: ad hanc autem reducuntur fere omnes ſequentes. Teſtimonia autem quæ adfert Cenſura, vulgatiſſima ſunt, & ab omnibus paſſim ſolvuntur, & nos etiam in lectioni-

lectionibus ſolvimus. Mirum autem eſt, DD. Cenſores hanc propoſitionem ita interpretari, quaſi diceretur, omnes habere auxilium ſufficiens in actu 2. quo poſſint converti, cum nullus unquam Author hoc auxilium intellexerit. Videntur autem ipſi ſentire (quod etiam alibi ſatis manifeſtè indicant) neminem habere auxilium ſufficiens ad converſionem, niſi qui actu convertitur, quod videtur hæreticum. Similiter ſolos prædeſtinatos illud habere ex parte Dei, quod etiam hæreticum videtur: dicunt enim eos tantùm habere auxilium ſufficiens ex parte Dei ad ſalutem, qui ſunt dati Chriſto à Patre, qui ſunt ſoli prædeſtinati, ut ipſi interpretantur in Cenſura Aſſert. 26.

Quod attinet ad parvulos, non eodem modo cenſemus eos habere auxilium ſufficiens, quo adultos; ut circa propoſitionem 16. in altera Apologia oſtendimus. Quod autem urgent: quâ voluntate Deus velit habere omnes auxilium ſufficiens: Reſpondeo, voluntate beneplaciti vult, ut omnes illud habeant in actu 1. vel 2. id eſt, omnibus eſſe præparatum per Chriſtum, & illud pro tempore & loco actu diſpenſari, & nemini facienti quod in ſe eſt, denegari; quod fuſiſſimè alibi explicuimus.

RESPONSIO,

Ad Cenſuram Aſſertionis tertiæ.

HÆc collectio eſt D. Ruardi a. 7. p. 350. & And. Vegæ Lib 13. in Trid. cap. 3. Bart. Medinæ 1.2. q. 109. art. 10. qui etiam dicit, hanc rationem eſſe fortiſſimam. Videat ergo Cenſura, quos viros condemnet; neque verò quiſquam Catholicorum hoc ita intellexit, ſicut Cenſura accipit, quaſi omnes poſſint implere præcepta, etſi auxilium Dei non implorent: hoc enim falſum eſſe, cuivis Chriſtiano notum eſt; non enim omnes habent ſufficiens auxilium ad quidvis in actu 2. ſed in actu 1. præparatum eſt enim illis, ſi petant, & datur illis, ut poſſint petere: ſicut dicimus, pauperes hujus urbis habere auxilium ſufficiens ad vitam ſuſtentandam á Civitate, quia poſſunt petere, & petentibus non denegatur.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis quartæ.

CErtum eſt, quoſcumque Deus vocat, ideo vocare, ut convertantur, ſi velint, & eos verè poſſe illud, ad quod vocantur; alioquin deluſoriè eos vocaret; nam quod etiam alios fines intendat, neque Calvinus diffitetur, dicens, Deum vocare & increpare etiam reprobos, non quidem eâ intentione, ut convertantur aut poſſint converti, ſed ut ſint inexcuſabiles, & ut declaretur gratiæ neceſſitas & excellentia &c. Catholici tamen hinc inferunt, talem vocationem fore deluſoriam. Quomodo autem D. Auguſtinus accipiat *vocare ſecundùm propoſitum*, dictum eſt in altera Apologia. Videatur D. Auguſtinus q. 2. ad ſimpl. & Ruardus art. 7. pag. 326. 347. & Driedo de capt. & redempt. pag. 133. & de conc. lib. arb. pag. 51. ex quibus manifeſtum eſt, *vocare ſecundùm propoſitum* idem eſſe, quod vocare, ſicut aptum noverat, ut homo ſequeretur. Neque hinc ſequitur, Deum expectare hominis conſenſum, ut det gratiam prævenientem, aut non ope-

rari ipſum conſenſum, aut non convertere ad ſe rebelles hominum voluntates, ut oſtenſum eſt in altera Apologia circa Aſſert. 8. & 9.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis quintæ.

SImili modo argumentatur Andreas Vega lib. 13. in Trid. cap. 7. de pœnitentia. Omnes autem obligari ad Baptiſmum (quod Cenſura negat) eſt communis ſententia Doctorum, in 4. diſt. 4. & D. Thom. 3. p. q. 68. art. 1. eſt enim medium neceſſarium ad ſalutem: aliud eſt enim non obligari ad aliquem actum, aliud excuſari à peccato, ſi illud non facias: ut mediocriter in Theologia verſato notum eſt, quod Deus pro omnibus parvulis, nemine excepto, inſtituerit Baptiſmum, ac proinde, quantum in ipſo eſt, etiam illis cupiat dare gratiam Baptiſmi, ſalvo tamen rerum ordine & providentiæ communis diſpoſitione, ut alibi dictum eſt. Cenſura autem tantum probat, Deum non velle omnibus dare hanc gratiam voluntate conſequente ſeu beneplaciti, non autem id

 probat

probat de antecedente; in qua amphibologia ſæpe laborat. Videatur Damaſ. l. 2. de fide orthod. cap. 29.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis ſextæ.

HUic loco maximè convenire eam expoſitionem, quâ dicitur, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, quia ex parte ſua præparavit omnibus ſufficientia auxilia; quibus valeant pervenire ad ſalutem, ex eo patet, quòd omnes fere Patres & communiter omnes Scholaſtici ita interpretentur. Videatur D. Thom. lib. 3. contra gent. cap. 159. *Deus*, inquit, *quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus dare ſuam gratiam; vult enim omnes homines ſalvos fieri.* Scotus in 1. diſt. 46. *Multò melius exponitur hic locus de voluntate antecedente, vult omnes homines ſalvos fieri: quantum ſcilicet ex parte ſui.* Dom. Soto lib. 4. de nat. & grã. cap. 18. *etſi*, inquit, *D. Auguſtinus hunc locum expoſuerit, quòd ex omnibus ordinibus & ſtatibus Deus aliquos vult ſalvos fieri; tamen hæc authoritas in univerſum de ſingulis hominibus veriſſima eſt, ſi de voluntate antecedente intelligatur.* Ruardus

ardus art. 7. pag. 334. Cunerus de gra. Chriſti cap. 13. Driedo de capt. & redempt. pag. 94. Quos puto, non fuiſſe petulanti ingenio, nec portam damnatis hæreticis aperuiſſe. Nec injuria fit D. Auguſtino, ſi aliqua expoſitio S. Scripturæ ipſi propria dicatur non eſſe conformis intentioni S. Scripturæ: nam certum eſt, alios Patres quædam loca S. Scripturæ commodiùs expoſuiſſe, ut poſſem multis exemplis oſtendere. Reliqua ad rem non pertinent.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis ſeptimæ.

UTitur hoc argumento Andr. Vega lib. 13. in Trid. cap. 4. Dom. Soto in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 1. & alii multi, qui tamen non ſequuntur errorem Maſſilienſium. P. Bellarm. expoſitio pro nobis facit; V. Bedæ expoſitio non eſt contra nos; nam etiam ipſi dicimus, Chriſtum aliter eſſe Redemptorem electorum, aliter reproborum: negare autem abſolutè, illum eſſe Redemptorem reproborum, puto eſſe erroneum.

RES-

RESPONSIO.

Ad Cenſuram Aſſertionis octavæ & nonæ.

ASſertio nona malè collecta eſt, addi enim debet *ſufficienter excitato*, hoc modo: *Gratia concomitans, id eſt, concurſus ſpecialis & ſupernaturalis, ita præparata eſt ſufficienter excitato &c.* Hæ propoſitiones ita conjunctæ ſunt, ut divelli nequeant; & tenent eas D. Thomas cum Cajet. 1. 2. q. 109. art. 9. & 10. ubi docent non requiri ad ſingulos actus novum aliquod auxilium præveniens præter gratiam habitualem & concurſum Dei ſupernaturalem. Gab. Biel. in 1. ſent. d. 45. & in 2. diſt. 39 ubi docet, ad libertatem requiri, ut omnibus ad productionem effectûs requiſitis eodem modo ſe habentibus, habeat voluntas in ſua poteſtate effectum producere & non producere, prout voluerit. Et ibidem docet, concurſum Divinum non prævenire actum liberum voluntatis. Idem docet Scotus in 2. diſt. 37. Greg. Arimin. 1. ſent. diſt. 45. q. 1. conc. 5. Ruard. art. 7. fol. 307. ubi dicit, in eo qui ſequitur

vocationem, & in alio qui negligit, poſſe eſſe idem converſionis principium, ita ut ex ſola eorum libertate unus negligat converſionem, & alius convertatur. Quod intelligendum eſt, non quaſi ex nuda libertate poſſit converti, ſed ex libertate nixa auxilio ejuſdem gratiæ; & ibid. docet, Deum regulariter non flectere voluntatem in hanc vel illam partem, niſi ſuaſione vel inſpiratione, quas etiam liberum eſt homini ſemper ſequi & negligere; per quas ipſe operatur in cordibus velle & perficere, nempe unà cum auxilio comitante. Driedo de cap. & redempt. p. 101. & 102. valde fusè, & multis aliis locis docet, gratiam efficacem ſeu gratiam prædeſtinationis nihil eſſe aliud, quàm vocationem & inſtinctum prævenientem, quo Deus ita vocat & excitat, ſicut aptum novit ut vocantem non reſpuat. Cuner. de lib arb. cap. 9. & 10. ſecutus ſuos præceptores Driedonem & Ruardum, *poſitis*, inquit, *prævenientibus adjutoribus, ipſa divina cooperatio ex Dei benignitate in ipſo hominis arbitrio poſita eſt, ut ex Deo operari poſſit, & ex ſe ceſſare.* Vbi pro eadem ſententia etiam adducit Driedonem & Ruardum, ita ut nullâ tergiverſatione negari poſſit, eos hoc ſentire.

re. D. Mart. Rythovius iu 2. ſentent. diſt. 29. ubi fusê, docet, non requiri ad ſingula opera novam gratiam quæ perveniat ipſum actum & quæ faciat facere. Epiſcopus Roffenſis & Martyr art. 36. contra Lutherum: peccator poſt peccatum per præſentiſſimum auxilium Dei, quod nemini deeſt, ad gratiam ſe præparare poteſt: nam ut influentia generalis ſemper adeſt voluntati, ita & auxilium divinæ gratiæ cunctis ad manum eſt præſens: quod maximè verum eſt de peccatore ſufficienter excitato, & per gratiam pervenientem præparato. Andreas Vega lib. 6. in Trid. cap. 7. auxilium ſpeciale quo adjuvamur ad fidem, ſpem, charitatem, mediatè ſubeſt poteſtati noſtræ, quod maximè verum eſt, quando quis per gratiam prævenientem ſufficienter ad converſionem eſt diſpoſitus. Et cap. 6. concurſus divinus, quo adjuvamur ad actus, quibus acquieſcimus Divinæ vocationi, videtur gratia adjuvans. Videatur idem Vega lib. 13. in Trident. cap. 13. ubi comparat hunc concurſum cum concurſu generali, & vocat eum gratiam efficacem: quo modo etiam vocat eum Ruardus p. 307. & D. Cunerus de lib. arb. cap. 9. & 10. Idem pro-

lixê P. Bellarm. docuit hic Lovanii 1.2. q. 109. & poſtea Romæ in q. Vtrùm homo habeat liberum arbitrium in actibus pietatis. F. Suares in Hiſpania, & poſtea Romæ, & multi alii. Et ſanè non video, quomodo diverſa ſententia ſit intelligibilis, ſi loquamur de conſenſu, vel alio quovis actu libero. Accipiamus enim propoſitionem contradictoriam utriuſque; prioris eſt hæc, nemo poteſt converti, niſi qui accipit auxilium præveniens & concomitans in actu 2. quod eſt dicere, nemo poteſt converti, niſi qui actu convertitur. Item nemo habet auxilium antecedenter ſufficiens ad converſionem, niſi qui actu convertitur: quas propoſitiones puto eſſe Calvini, ut facile poſſum oſtendere. Videatur. lib. 3. Inſtit. cap. 3. §. 10. ubi etiam ad hoc confirmandum eadem adfert teſtimonia, quæ DD. Cenſores. Contradictoria autem alterius eſt hæc; peccatori ſufficienter excitato & adjuto non eſt præparatum auxilium quo actu convertatur, neque illud auxilium habet in ſua poteſtate: quod eſt apertè contra Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 5. de quo loco ſatis multa diximus in altera Apologia. Falsò autem hìc nobis imponitur, ſingularem Dei cooperatio-

nem

nem ad actualem converſionem non eſſe neceſſariam, ut patet ex Aſſert. 9: in 8, enim tantùm agitur de auxilio, quod antecedenter neceſſarium eſt ad converſionem, ut patet legenti. Mirum autem eſt DD. Cenſores tantam congeriem teſtimoniorum ex D. Auguſtino adferre & aſſerere, alia plurima adferri poſſe, cum nuper hic quidam ex Magiſtris noſtris de hac gratia efficaci, quam Chriſti vocant, contra nos docens, pauciſſima invenire potuerit, quæ aliquam ſpeciem præ ſe ferrent: quæ facillimè à nobis in publicis diſputationibus explicata ſunt, nam D. Auguſtinus in hac quæſt. totus eſt pro nobis: nam ipſi gratia efficax non eſt aliqua determinatio voluntatis à Deo immiſſa, præveniens conſenſum liberum, ſed vocatio ſeu inſtinctus, quo ita ſuadet, vocat, & inclinat, ſicut aptum novit, ut voluntas non reſpuat, id eſt, ſicut novit ipſam ſecuturam. Quod autem dicunt, concurſum ſupernaturalem ad opera bona non eſſe neceſſarium; erroneum puto, niſi aliâ interpretatione explicetur, quam ego non video: manifeſtum enim eſt, ſicut ad opera naturalia neceſſarius eſt actualis concurſus Dei naturalis tanquam Auctoris naturæ: ita ad omnia opera ſupernaturalia

neceſſarius eſt concurſus Dei ſupernaturalis tanquam Authoris gratiarum. Atqui actus pœnitentiæ vel charitatis, quo quis convertitur ad Deum, ſupernaturalis eſt, vel in ſubſtantia, ut ego cum alijs multis probabiliter teneo, vel certè ſecundùm aliquem realem & intrinſecum modum, ut alij exiſtimant, Ergo ad talem actum omnino neceſſarius eſt concurſus ſupernaturalis. Quomodo autem Deus propriè & per ſe, id eſt, ex intentione operetur in nobis opera, eaque ſint ejus dona, ſatis dictum eſt in altera Apologia. Videatur Ruardus art. 7. pag. 307. Cunerus de lib. arb. cap. 9. & 10. Vega lib. 13. in Trid. cap. 13. qui docent, Deum operari in nobis opera bona, quatenus per vocationem & inſtinctum Divinum prævenientem dat vires & inclinationem ad opus bonum, & per auxilium ſupernaturale ſingulari modo concurrit ad illa. Nec verò cum dicimus hominem ſufficienter excitatum & Divinitùs præparatum poſſe converti, ſi velit, intelligimus eum primò debere velle per nudum liberum arbitrium; & deinde converti, ſicut paſſim DD. Cenſores interpretantur: hæc enim intelligentia inepta eſt, & repugnans ſententiæ Patrum, qui ita

loquun-

loquuntur : ſed tantum volumus, eſſe per ipſam gratiam in poteſtate hominis velle & non velle, id eſt, converti & non converti: ipſum enim converti nihil aliud eſt, quàm quoddam velle, V. G. pœnitere & Deo obedire ; qui actus quodammodo reflectitur ſuper ſe ipſum, ut quodam loco docet Auguſtinus : quicumque enim amat Deum, vult amare, qui pœnitentiâ peccatorum ducitur, vult pænitere. Cum ergo dicitur, aliquem poſſe pænitere, poſſe amare Deum, ſi velit ; nihil aliud ſignificatur, quàm ipſum actum ſupernaturalem pænitendi eſſe in ipſius voluntatis divinitùs motæ & præparatæ poteſtate, ita ut voluntas ex vi ſua & gratiæ poſſit ſe determinare ad pænitendum, vel non pænitendum, amandum Deum, vel non amandum : ſimili ferè modo, quo in aliis actibus liberis : quod etiam probatur ex omnibus illis Scripturis & Patrum teſtimoniis, quibus ſignificatur, etiam illis peccatoribus dari auxilium ſufficiens ex parte Dei, qui non convertuntur : ſi enim datur illis aliquando in actu ſecundo auxilium ſufficienter præveniens, ergo præparatum eſt illis auxilium concomitans, ita ut quodammodo ſit in illorum poteſtate : nam auxilium

ſufficiens

ſufficiens eſt illud, quo quis vere poteſt: nemo autem per auxilium ſufficiens vere poteſt converti, niſi præparatum ſit illi auxilium concomitans, ſicut nemo vere poteſt oculis ſuis videre, niſi præparatum ſit illi auxilium generale. Imo ſi illud auxilium non eſſet illi præparatum, nec eſſet quodammodo in ejus poteſtate, nunquam diceretur habere ſufficiens auxilium ad videndum. Eodem modo, niſi peccatori Divinis inſtinctibus & motionibus ad converſionem ſufficienter diſpoſito præparatum ſit auxilium gratiæ concomitantis, ita ut illud quodammodo ſit in ejus poteſtate, diceretur habere auxilium ſufficiens. quod eſt contra omnes Patres, & etiam contra omnes Scripturas. Iſaiæ 5. *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti!* Hic ſine dubio ſignificat Deus, ſe ex parte ſua dediſſe auxilium vere ſufficiens ad converſionem & bona opera: nec ullo modo tolerabilis eſt ea expoſitio, quæ dicit, Dominum loqui de auxiliis externis, ut quidam exponunt: quia Dominus queritur graviter de peccatoribus quod non ſint converſi, cum ipſe omnia fecerit, quæ ex parte

ſua

ſua erant neceſſaria, ergo habuerunt talem gratiam, per quam verè & propriè & etiam facilè poterant converti, quæ non eſt tantùm externa, ſed maximè interna: ergo illis præparatum erat auxilium concomitans in actu primo; ita ut illud eſſet quodammodo in eorum poteſtate: nam ſine eo impoſſibile erat etiam per gratiam internam converti. Nec Dominus ullo modo potuiſſet de ijs conqueri Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo; ſi quis mihi aperuerit, intrabo ad eum.* Vel eſt in poteſtate ejus, ad cujus oſtium pulſat Dominus, aperire, vel non eſt: ſi eſt in poteſtate, ergo præparatum eſt ei auxilium concomitans neceſſarium ad aperiendum, id eſt, ad conſentiendum vocationi; & ita habemus intentum. Si non eſt in poteſtate, cur pulſat Deus, ſi alter non poteſt aperire? Item, *ſi quis mihi aperuerit*, hoc enim nemo diceret, niſi putaret eſſe in alterius poteſtate aperire: nemo enim, niſi irridendo dixerit: ſi tu volaveris, ego te faciam divitem. Neque valet quorumdam expoſitio, qui, ut hunc locum eludant, dicunt ſenſum eſſe, ego pulſo ad oſtium, & ubi voluero, oſtium aperiam, & ſic intrabo: hæc enim expoſitio eſt Calvini, qui hoc modo ſolet eludere hujuſmodi lo-

ca S. Scripturæ, Videatur lib. 2. Inſtit. c. 5. Similia loca habemus Prov. 1. *Vocavi & renuiſti*: Act. 7. *vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis*: ubi ſenſus non eſt, vos externæ tantùm prædicationi reſiſtitis, ut quidam exponunt, & Calvino placet, ſed loquitur de inſtinctibus Divinis, quibus potuiſſent converti; externâ autem prædicatione ſolâ nunquam potuiſſent converti. Probatur ratione: quia de ratione actus liberi eſt, ut procedat à voluntate in omni inſtanti & temporis & naturæ indeterminata ad ipſum, habente in ſua poteſtate omnia neceſſaria ad eum eliciendum & non eliciendum, ut docent omnes communiter Doctores, Videantur Authores citati, & D. Cunerus de lib. arb. cap. 2. 8. 9. 10. ſi ergo opera bona, & ſupernaturalia, ut ſunt converſio, oratio, actus charitatis, &c. ſint opera libera, neceſſe eſt, ut procedant à voluntate indeterminata ad ipſa, quæ habeat in poteſtate ſua omnia neceſſaria ad illos actus faciendos & omittendos, ita ut omnibus prævenientibus eodem modo ſe habentibus poſſit actum elicere vel non elicere, prout voluerit: ergo voluntas ſufficienter præparata habet in ſua poteſtate omne auxilium neceſſarium ad illum actum. Unde

patet,

patet, non requiri ad omne opus bonum, præter omnem ſufficientem præparationem voluntatis ſive per Divinos inſtinctus, ſive per virtutes & habitus ſupernaturales, aliam quandam motionem prævenientem, quæ efficacitate ſua voluntatem determinet ad bonum opus, quam habere non ſit in voluntatis Divinitus præparatæ poteſtate, quâ poſitâ impoſſibile ſit, bonum opus non ſequi: nam hæc videntur eſſe contra rationem actus liberi.

Sequit etiam videtur ex hac ſententia, Deum deſerere hominem juſtum, antequam deſeratur; quod eſt contra Concil. Trid. ſeſ. 6. cap. 11. & contra Scripturas S. & omnes Patres. Probatur: nam ſi requiritur ad omne opus bonum gratia præveniens, quæ efficacitate ſua voluntatem determinet, quam habere non ſit in hominis poteſtate; ponamus hominem juſtum gravi tentatione tentari, & cadere; ſine dubio hic non habuit hanc præmotionem prævenientem efficacem; quia non fuiſſet lapſus; nec in poteſtate ipſius erat illam habere, quia nec petere eam poterat, ut oportet ſine ſimili gratia, ut ipſi fatentur: unde ſequitur, illum fuiſſe deſertum à Deo, antequam ipſum deſereret. Nec ullo modo probabilis eſt eorum

 expoſi-

expoſitio, qui dicunt; Deum non deſerere juſtum antequam deſeratur, quia non ſubtrahit illi gratiam juſtificationis, antequam peccet, hæc poſtrema expoſitio aperte eſt contra intentionem Concilii, ut patet ex c. 11. loquitur enim de auxilio neceſſario & ſufficienti ad bene operandum & perſeverandum; non autem per ſolas vires gratiæ habitualis poſſe diu bene operari aut perſeverare. Deinde ſequitur, illum neceſſario peccare, quia impoſſibile erat ſine gratia illa efficaci tentationi tantæ reſiſtere, ut ipſi fatentur: dicere autem, ut quidam dicunt, illum quidem neceſſario peccare, ſed hanc deſertionem eſſe pœnam peccati originis, & ideo ipſum non excuſari, non video quomodo non ſit Calvinianum.

Sequitur alterius, in hominis poteſtate non eſſe, plura bona facere quam facit; nam ſine hac gratia non poteſt aliquod bonum opus meritorium vitæ æternæ facere, & hanc habere non eſt in ejus poteſtate, quia Deus præparavit illam ſolis prædeſtinatis, & diſpoſuit ante omnem prævisionem eorum, quæ homo facturus eſt talibus & talibus momentis & locis, illam ad talia & talia communicare, & non alias: & hac poſita homo facit omne

illud,

illud, ad quod ipſi datur. Quomodo ergo eſt in poteſtate hominis, vel plura vel majora bona facere, quàm quæ facit?

Denique ſequitur, omnes exhortationes, increpationes, præcepta, Divinos inſtinctus, & vocationes internas & externas reprobis dari non ut convertantur, ſed ob alias cauſas, ut vult Calvinus, quia his omnibus poſitis, non eſt in illorum poteſtate converti, quia in illorum poteſtate non eſt habere illam motionem efficacem, quæ præter hæc omnia neceſſaria eſt ad converſionem; hæc enim ſolis prædeſtinatis præparata eſt, ut ipſi fatentur: Nec valet, quod quidam reſpondent, reprobos poſſe illam petere & habere, quia Deus poteſt illam dare: nam Deus conſtituit illam non dare, idque ante prævifionem operum. Impoſſibile eſt ergo eos eam acquirere, licet habeant poteſtatem paſſivam eam acquirendi, ſicut damnatis impoſſibile eſt habere gratiam, quia Deus decrevit eam abſolutè non dare. Sanè non video, quomodo hæc ſententia diſtinguatur ab errore Calvini lib. 2. Inſtit. cap. 3. §. 10. ubi ait: *Voluntatem Deus movet, non qualiter multis ſeculis traditum eſt, ut noſtræ poſtea ſit electionis motioni obtemperare aut refragari; ſed illam efficaciter*

 efficiendo.

efficiendo. Quij damnatur à Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 5. Quod autem aliud dicunt, qui dicunt per gratiam prævenientem non conſtitui unquam hominem in eo ſtatu, ut in ipſius poteſtate ſit conſentire & diſſentire; ſed ad conſenſum requiri aliam quandam motionem prævenientem, quam habere non eſt in hominis poteſtate, quæ efficaciter operetur ipſum conſenſum, ita ut impoſſibile ſit voluntatem illa motione poſita non conſentire. Quod autem Cenſura dicit, hinc ſecuturum, ut etiam hominibus in malitia perſiſtentibus det opera bona, quia dat illis auxilium præveniens, & paratus eſt dare auxilium gratiæ concomitantis; admittimus, Deum dare quibuſdam in malitia perſiſtentibus opera bona in actu primo & quantum in ipſo eſt; quia dat illis omnia neceſſaria ad opus bonum, ita ut ſit in illorum poteſtate mediate bene vel male operari, non tamen dat in actu ſecundo, quia ipſi nolunt.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimæ.

Quomodo D. Auguſtinus ſit intelligendus, ſatis diximus in altera Apologia,

pologia. Colligitur hæc explicatio ex And. Vega l. 6. in Conc. Trid. cap. 7. & lib. 13. cap. 12. & 13. & Cuner. de lib. arb. cap. 10. & Ruard. art. 7. p. 507. Qui dicunt, auxilium ſpeciale, quod præter gratiam excitantem ſeu vocationem neceſſarium eſt ad converſionem, eſſe auxilium concomitans, ſeu concurſum & cooperationem ſupernaturalem, quam ſufficienter præparatus habet quodammodo in ſua poteſtate: hæc enim cooperatio eſt vera gratia, quia ſupra conditionem humanæ naturæ, eique indebita, per quam natura liberi arbitrii ita juvatur, ut efficiat opera ſupernaturalia & Divina, quæ cum ſolo concurſu generali non potuiſſet efficere: ita ut totum opus ſit à natura liberi arbitrii, & totum ſit à gratia præveniente & concomitante, & liberum arbitrium nihil poſſit in opus ſupernaturale, niſi Divinitus præparatum & adjutum. Quomodo autem Deus ita ſe menti intimè conjungat, & veluti habitus ſe uniat, ut ipſa ex eo poteſtatem habeat ſe ad bona opera determiandi vel non determinandi, alibi à nobis explicatum eſt. Videatur D. Cunerus, qui hoc ſubtiliter explicat, cap. 9. 10. & 11. de gratia Chriſti, & cap. 8. 9. & 10. de lib. arb.

De locis Auguſtini, quæ Cenſura citat, alibi dictum eſt. Quod autem Cenſura de concurſu generali, quo Deus ad omnem actionem concurrit, affert; pro nobis facit: ſicut enim hic generalis concurſus quodammodo eſt in hominis poteſtate, ita ut poſſit eum habere, ſi velit; ita etiam in poteſtate ejus; qui ſufficienter excitatus & præparatus eſt ad aliquem actum ſupernaturalem, eſt habere omnem cooperationem Divinam neceſſariam ad illum actum, quod tamen Cenſura negat. Neque refert, ſive dicatur concurſus generalis voluntatem determinare, ſive non determinare, modò dicatur eſſe in hominis poteſtate. Certum tamen eſt, illum concurſum propriè loquendo non determinare voluntatem ad actus liberos, quaſi eam præveniendo; omnes enim Theologi tenent, concurſum Dei in nullo inſtanti temporis vel naturæ attingere liberum arbitrium, quo non etiam liberum arbitrium eundem actum attingat, ut docet Scotus in 2. diſt. 37. & Gab. eâdem. G. Arimin. in 1. diſt. 45. q. 1. c. 5. Caj. in 1. part. q. 14. art. 13. Andreas à Caſtro in 1. ſent. & elegantiſſimè D. Cuner. de lib. arb. cap. 9. & 10. Unde quando D. Thomas & alii Doctores docent, Deum

ium voluntatem applicare ad ſuum actum, intelligendi ſunt de applicatione non præveniente, ſed comitante ipſam operationem voluntatis; quia nimirum voluntas per auxilium Dei generale aſſiſtens in actu primo habet in ſua poteſtate ſe determinare ad actum. Quod autem in fine ſignificari videtur, Adamo non minus defuiſſe crebras excitationes internas & externas, & ſingularem protectionem, quam homini lapſo, videtur eſſe contra D. Auguſtinum de correpț. & gra. cap. 11. & D. Thom. 1. 2. quæſt. 109. art. 9. & 10. Illud autem valde mirum eſt, quod Cenſura hic aperte indicat, poſitis omnibus Divinis excitationibus internis & externis, & ſingulari ejus protectione, ulterius requiri quandam gratiam ita efficacem, ut ipſum velle in noſtro prorſus non relinquatur arbitrio; nam hoc aperte videtur dogma Calvinianum Lib. 2. Inſtit. cap. 3. §. 10. Similiter & illud, requiri ad converſionem talem gratiam prævenientem, quâ poſitâ homo non poſſit nolle.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis undecimæ.

ITa hunc locum explicat Ruardus art. 7. pag. 334. dicens, etiam Tyriis & Sidoniis non defuiſſe auxilium ſufficiens, ſed abundans, quo fuiſſent moti ad pœnitentiam: unde non eſt verum, Auguſtinum loqui de auxiliis externis; nam loquitur de auxilio, quod eſt gratia prædeſtinationis, ut patet inſpicienti: deindequia per ſolum auxilium externum nunquam erant credituri: imo nec poterant credere; cum tamen Auguſtinus ibi loquatur de auxilio, quo habito fuiſſent moti ad fidem. Loquitur ergo de anxiliis externis, quæ ſecundùm communem Dei providentiam & ordinationem quædam auxilia interna adferunt ſecum, ut ſunt prædicatio & miracula: quibus autem deſunt externa auxilia prædicationis fidei, vel miraculorum, iis non deeſſe alia tum interna tum externa, quibus ſenſim valeant pervenire ad fidem, eſt communis ſententia Doctorum, ut ſupra oſtenſum eſt circa Aſſertionem 2.

RESPONSIO.

Ad Cenſuram Aſſertionis duodecimæ.

ITa exponunt hunc locum Ruardus a. 7, pag. 333. ita ſcribens: *Credunt,* inquit Aug. *illi, quia in illis præparatur voluntas à Domino; iſti non credunt, quia in iſtis non præparatur voluntas à Domino.* & Driedo de capt. & redempt. pag. 133. iiſdem pene verbis, ad argumentum ex doctrina Auguſtini dicentis, inter eos, qui audiunt evangelium prædicari, alii credunt, quia in eis præparatur voluntas à Domino, alii non credunt, quia in ipſis voluntas à Domino non præparatur. Hoc ſatis ſit ad longam Magiſtrorum Noſtrorum Cenſuram.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimætertiæ.

ACcipiamus contradictoriam ejus partis quæ hic maximè oppugnatur, quod eſt, *Iuſti non perſevaraturi non habent aliquod donum ex Deo, quo poßint perſeverare in gratia; ſi velint:* quod eſt manifeſtè

hæreticum: nam definit Conc. Trid. omnem juſtum poſſe perſeverare cum auxilio ſpeciali, ſi velit. Seſ. 6. cap. 13. & can. 22. Falſum autem eſt, nos ipſum poſſe perſeverare Dei dono adſcribere, & non ipſam actualem perſeverantiam: non enim ſi Deus non ita facit hominem perſeverare, ut non poſſit non perſeverare; continuò ſequitur, Deum non dare ipſum perſeverare, ſicuti Cenſores intelligunt; omnes enim Catholici fateri debent, Deum ita homini dare perſeverare, ut homo verè & propriè poſſit non perſeverare: in iis autem qui perſeverant, etiam ipſum perſeverare eſt donum Dei, in iis autem, qui non perſeverant, ipſum poſſe perſeverare tantùm eſt donum Dei. Videatur Ruard. art. 7. pag. 308. qui ad reliqua ſufficere poteſt.

Quod ad ſententiam Catharini attinet, ea mihi in multis non probatur, ut patet ex altera Apologia. Fuiſſe autem confirmatos in gratia, qui habuerunt longè majus donum perſeverantiæ quàm alii, ſi loquamur de dono, quod antecedenter neceſſarium eſt, ad actu perſeverandum, de quo hic ſermo eſt, eſt communis ſententia Doctorum. Videatur D. Cyrillus lib. 9. in Joannem cap. 29. ubi dicit, Apoſtolos

ſtolos poſt acceptum Spiritum S. cadere non potuiſſe. D. Thom. 3. p. & ibid. Cajet. & de veritate q 24. a. 9. & in 3. ſent. diſt. 12. q. 2. art. 1. & Durand. in 3. diſt. 4. q. 4. Bon. in 3. d. 3. a. 2. q. 3. Unde temerarium videtur, hoc damnare.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimæ quartæ.

HAnc propoſitionem docent omnes citati circa ſecundam aſſertionem, & D. Soto acriter hoc defendit lib. 1. de nat. & gra. cap. 18. qui id probat ex Orig. Hier. Aug. & Adriano in 4. d. de pænitentia dicens, hanc eſſe differentiam viatorum ab iis, qui tranſierunt terminum, quod viatoribus ſufficienter aſſiſtat, etiam gratiam offerat, quâ pro extremo ſaltem virium laborando poſſent peccati indulgentiam promereri. Et ibidem docet, Deum indurare hominem, nihil eſſe aliud, quàm ſubtrahere gratiam abundantiorem, ſine qua non pænitebit: quod etiam docet D. Cunerus de obduratione pag. 242. & Ruardus art. 7. pag. 131. & pag. 348. & iiſdem ferè verbis Driedo

de capt. & redempt. pag. 113. & 131. Andreas Vega lib. 13. in Trid. cap. 12. & 13. qui authores non ſunt rejiciendi. Reliqua vel levia ſunt, vel nihil ad rem pertinent.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimæ quintæ.

NOn quæritur hic, an quis poſſit converti per vires naturæ, vel an Deus poſſit omnes convertere; ſed an auxilium Divinum omnibus ſit præparatum, ita ut pro tempore & loco ſit in illorum poteſtate ſenſim pervenire ad converſionem. Nos putamus eſſe quodammodo in omnium adultorum poteſtate, converti per auxilium Dei; cujus contrarium Bart. Medina 1. 2. q. 19. art. 10. dicit eſſe temerarium & hæreticum; D. Soto cap. 18. lib. 1. de nat. & gra. & in 4. diſt. 15. q. 1. art. 1. erroneum. Idem docent Vega lib. 13. in Trident. cap. 9. 10. 12. & 13. Quæ hic adferuntur, nihil ad rem pertinent.

RES-

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimæ ſextæ.

DE parvulis nihil novi dicitur: videatur in altera Apologia, quomodo hoc intelligendum ſit: tantùm enim volumus in parvulis verum eſſe illud Apoſtoli, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*: ita ut etiam iſta voluntas antecedens in illis locum habeat: nec parvuli conſequenter à Deo efficaciter & abſolutâ voluntate deſtinati ad pœnas ante prævisionem mortis: ſicut ſi Rex conſtitueret magnum aliquem theſaurum, quo alerentur omnes pauperes Provinciæ nemine excepto; hic tamen diſpenſandus eſſet per varios Miniſtros, quos ipſe ſciret interdum officio defuturos: rectè diceretur ille Rex velle omnes pauperes ſuſtentare, & omnes illi rectè dicentur ex parte Regis habere auxilium ſufficiens ad vitam tollerandam, quamquam non eſſet in illorum poteſtate vel ob Miniſtrorum perverſitatem, vel alia de cauſa ex illo theſauro accipere. Ita Deus, dum conſtituit Baptiſmum pro omnibus parvulis nemine excepto, & juſſit omnibus

omnibus applicari; etiamſi ſciat non omnibus applicandum, nec poſſe applicari ob aliquas cauſas externas; modo ipſe cauſas illas non ordinet ad hunc finem; rectè dicitur parvulis præparaſſe auxilium ſufficiens, & ipſi rectè dicuntur ex parte Dei illud habere.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimæ ſeptimæ.

Durum valde eſt, & ut puto falſum, Deum voluntate beneplaciti antecedente omnem prævifionem determinationis cauſarum ſecundarum velle, ut parvuli, qui moriuntur ſine Baptiſmo, non baptizentur; neque hoc umquam D. Auguſtinus dixit. Quod ſi Deo non eſt imputandum, quando parvuli moriuntur ante Baptiſmum procurante id malitiâ humanâ, ut hâc Cenſurâ fateri videntur (in quo a Lovanienſi differt) cur id ei imputabitur, quando id accidit ex aliquâ cauſa naturali? Et ſi non cenſetur talis mors caſu fieri quando culpâ humanâ infertur, Deo tantum juſto judicio ſic permittente, cur cencebitur caſu fieri, ſi dicamus

camus Deum tantum permittere & non procurare, ut à cauſa naturali talis mors inferatur? Falſum autem eſt, me ſentire Divinam Providentiam non immediatè extendi ad omnia & ſingula, quæ in rerum natura exiſtunt & fiunt, ut ſatis in altera Apologia dictum eſt: aliud eſt enim efficax ordinatio ſeu volitio alicujus rei facta ante omnem prævisionem determinationis cauſarum ſecundarum; aliud Providentia. Unde reliqua nihil ad rem pertinent. Illa autem ratiocinatio Cenſuræ, *Deus omnia operatur, ergo omnia præordinat*, aut nihil concludit, aut contra Cenſores concludit: nam ſi rectè concludit, ſequitur etiam, Deum præordinaſſe efficaciter & in particulari ante omnem prævisionem determinationis cauſarum ſecundarum ipſos actus materiales peccatorum, nam hos etiam cùm creatura immediatè operatur; niſi forte hoc negent: ſed hoc negare eſt erroneum: certum enim eſt, Deum immediatè omnem entitatem poſitivam operari, ut alibi probatum eſt. Quod ſi ipſos actus peccatorum, & quidquid eſt in ipſis entitatis poſitivæ, Deus immediatè cum creatura operatur, & tamen non præordinat efficaci voluntate ante omnem prævisionem,

cur non idem dici poterit de actibus peccatorum externis, de primis motibus concupiſcentiæ, de habitibus vitiorum, de actibus iudiciis & ſimilibus? Videatur Euſebius lib. 6. præparationis Evangelicæ cap. 9. & alii Patres citati in altera Apologia, qui quando urgebantur ab ethnicis aſſerentibus, omnia fieri fato & inevitabili neceſſitate, ſi Deus omnia præſciat; uno ore reſpondebant, non ideo res contingentes ſeu liberas fieri, quia Deus eas præſcit, ſed potius Deum præſcire, quia ſunt futuræ; ita ut ipſæ ſint quodammodo cauſa Divinæ præſcientiæ, non quidem quoad actum illum Divinæ mentis, ſed quoad determinationem ejus ad hoc objectum, ut alibi à nobis explicatum eſt: quæ reſponſio nihil valeret, ſi Deus omnia ab æterno ante omnem previſionem abſolutâ voluntate efficaciter præordinaſſet.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis decimæoctavæ

HÆc Aſſertio ſatis patet ex dictis circa Aſſertionem ſecundam. Quod ad illam rationem attinet; *ſi homines facerent*

quod in ipſis eſt, &c. valde diſplicet Calvino lib. 2. Inſt. c. 3. §. 10. vocans illud *Occamiſtam opinionem*, ſed docet hoc D. Thomas lib. 3. contra gent. cap. 159. dicens, Deum quantum in ſe eſt paratum eſſe omnibus dare gratiam, & in poteſtate liberi arbitrii eſſe impedire Divinæ gratiæ receptionem vel non impedire; etſi non impediat, Deum gratia ſua affulſurum. Et de verit. q. 14. art. 11. *ſi aliquis enutritus in ſylvis ductum rationis naturalis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſime tenendum eſt, quod illi Deus per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt credenda.* Quod intelligendum eſt, non quod ſtatim Deus illi infunderet fidem, ſed quin daret auxilia majora, quibus ſenſim ad fidem poſſet pervenire. Idem docet Alex. Alenſis in 3. q. 69. memb. 5. a. 3. & Alb. in 2. diſt. 28. q. 1. ad 4. D. Soto in 4. diſt. 1. q. 2. a. 3. ſervanti rite jus naturæ Deus ſingulari auxilio affulſiſſet. And. Vega lib. 13. in Trid. cap. 12. dicens: *vel*, inquit, *hoc argumento poſſemus convincere, quemlibet viatorem poſſe ſecundùm legem communem converti: Nullus eſt ex viatoribus, qui non poßit bene uti naturalibus; ei autem qui hoc fecerit, Deus, qui nemini deeſt facienti, quod in ſe eſt, auxilium*

 ſine

ſine dubio præſtabit ſufficiens ad obtinendum bona ſupernaturalia. Idem docet Gerſon in regulis moralibus alphabeto 24. reg. 111. Ruard. art. 7. pag. 348. hoc dicit poſſe concedi. Et Driedo de concordia lib. arb. pag. 51. dicit ſimiliter, idem poſſe concedi, nec affine eſſe alicui errori: non tamen opera moraliter bona ſunt diſpoſitio aut remota aut propinqua ad gratiam, ut alibi dictum eſt.

RESPONSIO.

Ad Cenſuram Aſſertionis decimæ nonæ.

HÆc aſſertio malè collecta eſt: ſcribitur enim hic *auxilium morale ſufficiens* pro *auxilio moraliter ſufficiente*, & *alioquin* pro *contrarium*, quod eſt auxilium morale ſufficiens. Nihil autem novi hic adfertur, & in alienum ſenſum omnia detorquentur. Habetur hoc argumentum apud Ruardum art. 7. pag. 350. & Vega lib. 13. in Trid. cap. 3. & Soto in 4. d. 25. q. 1. a. 1. & alios multos.

RES-

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ.

HÆc propoſitio non eſt improbabilis, ſed multò quàm contraria probabilior, & ordini Divinæ Juſtitiæ, & merito hominis conſentanea. Contraria placuit Calvino Lib. 3. Inſt. cap. 22. §. 9: ubi ſic ait: *Thomas contendit, gloriam electis quodammodo prædeſtinari ex meritis, quia gratiam illis Deus prædeſtinat, quâ gloriam mereantur: quid ſi contra excipias, prædeſtinationem ad gratiam electioni ad vitam ſubſervire, eſſéq; velut ejus pediſſequam: gratiam iis prædeſtinari, quibus gloriæ poſſeſſio jam diu aſsignata ſit &c.* Unde multa alia colligit: nempe ſolis electis dari gratiam: electos non poſſe peccare vel perire; vitam æternam non dari ex meritis &c. & ſanè valde durum videtur, Deum in primo ſigno rationis ab æterno ante omnem omnino ſcientiam, & nullâ habitâ ratione eorum quæ homo per gratiam ſuam eſſet facturus, abſolutè voluiſſe, ut homo iſte & ille perducerentur ad gloriam & quidem tantam gloriam; nec ullam ab ipſis requiſiviſſe conditionem, quam implere

vel non implere ſit in eorum poteſtate (hoc enim prædeſtinatio efficax, & abſoluta ſignificat) ſed ad hanc voluntatem ſuam explendam velut in ſecundo ſigno rationis ſtatuiſſe efficaciter facere ut eam gloriam mereantur, quidquid demum ipſi eſſent facturi. Patres autem aliter ſentire, alibi demonſtratum eſt: Videatur altera Apologia. Neque verò quidquem nobis hic commune eſt cum Maſſilienſibus: Illi ſenim volebant eligi ad gratiam & gloriam, qui libero arbitrio nudo & non divinitùs præparato gratiam Dei, quærerent vel acceptarent, ut patet ex Epiſtolis Proſperi & Hilarii; nam dicere eos eligi ad gloriam, qui per gratiam Dei bene vivunt, nullus eſt error. Docet hoc Fr. Turrianus lib. de electione Divina, & alii plurimi. Neque hic aliquid negamus, quod Eccleſia univerſa confitetur, ut parum modeſtè Cenſura criminatur: non enim Eccleſia tota aſſerit, non licere in hac quæſtione à D. Aug. recedere, ſi ipſe contrarium ſentit, ſicut etiam non cogit me ſequi D. Auguſtinum in quæſt. de auxilio ſufficienti, ſi ipſe putat non omnibus tale auxilium dari: ut nec in quæſt. utrum prædeſtinatio ſit facta ante prævíſum peccatum originale, an poſt; nec in

his ſimilibus. Et ſane valde mirum eſt, hanc ſententiam nunc tam graviter reprehendi, cum aperte illam docuerit D. Eſtius in 2. diſt. 41. §. 6.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ primæ.

DE aſſertione 21. ſatis dictum eſt in altera Apolog. Quod autem hic de perſeverantia ex D. Auguſtino dicitur, eam ſemel acceptam amitti non poſſe, nihil ad rem facit, nam perſeverantia non dicitur accepta niſi in termino, ut docet Driedo de concordia liberi arbitrii pag. 58. Unde nullo modo amitti poteſt. Error autem eſt dicere, ſimiliter coronam ab aliquo viatore amitti non poſſe.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ ſecundæ.

DIvi Auguſtini ſententia mihi valde placet, ſed Cenſura in alium ſenſum rapit hanc ratiocinationem, quæ à

me

me allata eſt. Hoc modo facile eſt cenſuras texere, & multorum errorum alios inſimulare. Videatur Apologiæ alterius reſponſio.

RESPONSIO.

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ tertiæ.

HIc nihil novi adfertur: ſolum vellem, ut DD. Cenſores explicarent, ſi Deus ante omnem prævſionem abſolutâ & efficaci voluntate voluit & præordinavit, nullam à me requirens conditionem, ut ego tali momento faciam tale opus bonum, cum talibus circumſtantiis &c. quomodo ego poſſim illud opus non facere? Et quomodo hæc ſententia diſtinguatur ab errore Calvini, qui ex hoc fundamento tollit contingentiam. Nam quod dicitur, me in ſenſu diviſo poſſe illud non facere, nihil aliud eſt dicere, quàm me poſſe non facere, ſi Deus non decrevit ut faciam: quod etiam Calvinus admittit. Adducit etiam pro ſe locum Apoſtoli, quem Cenſura adfert, cui nullo negotio reſpondetur, nos creari in operibus bonis, id eſt, ad opera bona: quia

dum

dum iuſtificamur in ordine gratiæ, velut ex nihilo producimur, id eſt, ex nullis meritis, ut ambulemus in operibus bonis. Ita Chriſoſt. Theoph. & alii, qui hoc tempore ſcribunt contra hæreticos. Hinc autem nullâ probabilitate ſequitur, Deum omnia opera bona in particulari abſolutâ & efficaci voluntate præordinaſſe; nullâ requiſitâ conditione ab homine. Teſtimonia, quæ hic adferuntur, nihil ad rem pertinent.

RESPONSIO

ad Cenſuram Aſſertionis vigeſima quarta.

HAnc propoſitionem docet expreſſè Damaſ. lib. 2. de fide cap. 29. ubi dicit, quod Juſti incidant in calamitates, non eſſe ex Divino beneplacito, ſed tantùm ex permiſſione. Quàm autem ſit durum & à ratione abhorrens, dicere Deum abſolutè voluiſſe & præordinaſſe omnia Sanctorum ſupplicia, antequam prævideret futuros Tyrannos & impios, qui hæc ſupplicia vellent inferre; quod Cenſura hic docet, facilè quivis perſpicere poteſt: ſi enim præordinavit efficaciter v. g. ut S. Laurentius

[illegible]us art. 7. pag. 33
[illegible] iſti cap. 13. Dri
[illegible]pt. pag. 94. Quo
[illegible]anti ingenio, n
[illegible]cis aperuiſſe. N
[illegible]ſtiro, ſi aliqua ex
[illegible] ipſi propria dicatu
[illegible]s intentioni S. Scrip
[illegible]ſt, alios Patres quæda
[illegible] commodiùs expo
multis exemplis oſten
rem non pertinent.

RESPO

Ad Cenſuram Aſſe

UTitur hoc argu
lib. 13. in Trid
to in 4. diſt. 15. quæ
multi, qui tamen n
rem Maſſilienſium.
tio pro nobis facit:
non eſt contra nos;
mus Chriſtum alit
electorum, aliter
autem abſolutè, il
rem reproborum,

ſſos , nam quod ex
vitam æternam jam
t conſecuti, libentes
em non pertinet.

N S I O

tionis vigeſimæ
ta.

ura , quorſum hæc
fuit facile ea car-
Apologia , nam ni-
non enim negamus,
llibiliter ſalventur,
eo ſecundum Divi-
D. Auguſtinus lo-
ſequantur ; ſed hæc
præſcientia condi-
mera efficacitate il-
ntis, quaſi in quo-
eadem motio præ-
nino ſimilis , in eo
bonum, ita ut non
s illud impedire e-
oſito ; ſicut poſito
libiliter homo ope-
concurſus eſſe non
. Talem enim gra-
tiam

ſine dubio præſtabit ſufficiens ad obtinendum bona ſupernaturalia. Idem docet Gerſon in regulis moralibus alphabeto 24. reg. 111. Ruard. art. 7. pag. 348. hoc dicit poſſe concedi. Et Driedo de concordia lib. arb. pag. 51. dicit ſimiliter, idem poſſe concedi; nec affine eſſe alicui errori: non tamen opera moraliter bona ſunt diſpoſitio aut remota aut propinqua ad gratiam, ut alibi dictum eſt.

RESPONSIO.

Ad Cenſuram Aſſertionis decimæ nonæ.

HÆc aſſertio malè collecta eſt: ſcribitur enim hic *auxilium morale ſufficiens* pro *auxilio moraliter ſufficiente*, & *alioquin* pro *contrarium*, quod eſt auxilium morale ſufficiens. Nihil autem novi hic adfertur, & in alienum ſenſum omnia detorquentur. Habetur hoc argumentum apud Ruardum art. 7. pag. 350. & Vega lib. 13. in Trid. cap. 3. & Soto in 4. d. 35. q. 1. a. 1. & alios multos.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ.

HÆc propoſitio non eſt improbabilis, ſed multò quàm contraria probabilior, & ordini Divinæ Juſtitiæ, & merito hominis conſentanea. Contraria placuit Calvino Lib. 3. Inſt. cap. 22. §. 9: ubi ſic ait: *Thomas contendit, gloriam electis quodammodo prædeſtinari ex meritis, quia gratiam illis Deus prædeſtinat, quâ gloriam mereantur: quid ſi contra excipias, prædeſtinationem ad gratiam electioni ad vitam ſubſervire, eſſeq; velut ejus pediſſequam: gratiam iis prædeſtinari, quibus gloriæ poſſeſſio jam diu aßignata ſit &c.* Unde multa alia colligit: nempe ſolis electis dari gratiam: electos non poſſe peccare vel perire; vitam æternam non dari ex meritis &c. & ſanè valde durum videtur, Deum in primo ſigno rationis ab æterno ante omnem omnino ſcientiam, & nullâ habitâ ratione eorum quæ homo per gratiam ſuam eſſet facturus, abſolutè voluiſſe ut homo iſte & ille perducerentur ad gloriam & quidem tantam gloriam; nec ullam ab ipſis requiſiviſſe conditionem, quam implere

vel non implere ſit in eorum poteſtate (hoc enim prædeſtinatio efficax & abſoluta ſignificat) ſed ad hanc voluntatem ſuam explendam velut in ſecundo ſigno rationis ſtatuiſſe efficaciter facere ut eam gloriam mereantur, quidquid demum ipſi eſſent facturi. Patres autem aliter ſentire, alibi demonſtratum eſt. Videatur altera Apologia. Neque vero quidquem nobis hic commune eſt cum Maſſilienſibus: Illi ſenim volebant eligi ad gratiam & gloriam, qui libero arbitrio nudo & non divinitùs præparato gratiam Dei quærerent vel acceptarent, ut patet ex Epiſtolis Proſperi & Hilarii, nam dicere eos eligi ad gloriam, qui per gratiam Dei bene vivunt, nullus eſt error. Docet hoc Fr. Turrianus lib. de electione Divina & alii plurimi. Neque hic aliquid negamus, quod Eccleſia univerſa confitetur, ut parum modeſtè Cenſura criminatur: non enim Eccleſia tota aſſerit, non licere in hac quæſtione à D. Aug. recedere, ſi ipſe contrarium ſentit; ſicut etiam non cogit me ſequi D. Auguſtinum in quæſt. de auxilio ſufficienti, ſi ipſe putat non omnibus tale auxilium dari: ut nec in quæſt. utrum prædeſtinatio ſit facta ante prævisum peccatum originale, an poſt; nec in

his ſimilibus. Et ſane valde mirum eſt, hanc ſententiam nunc tam graviter reprehendi, cum aperte illam docuerit D. Eſtius in 2. diſt. 41. §. 6.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ prima.

DE aſſertione 21. ſatis dictum eſt in altera Apolog. Quod autem hic de perſeverantia ex D. Auguſtino dicitur, eam ſemel acceptam amitti non poſſe, nihil ad rem facit; nam perſeverantia non dicitur accepta niſi in termino, ut docet Driedo de concordia liberi arbitrii pag. 58. Unde nullo modo amitti poteſt. Error autem eſt dicere, ſimiliter coronam ab aliquo viatore amitti non poſſe.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ ſecunda.

DIvi Auguſtini ſententia mihi valde placet; ſed Cenſura in alium ſenſum rapit hanc ratiocinationem, quæ a me

me allata eſt. Hoc modo facile eſt cenſuras texere, & multorum errorum alios inſimulare. Videatur Apologiæ alterius reſponſio.

RESPONSIO.

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ tertiæ.

HIc nihil novi adfertur: ſolùm vellem, ut DD. Cenſores explicarent, ſi Deus ante omnem prævíſionem abſolutâ & efficaci voluntate voluit & præordinavit, nullam à me requirens conditionem, ut ego tali momento faciam tale opus bonum, cum talibus circumſtantiis &c. quomodo ego poſſim illud opus non facere? Et quomodo hæc ſententia diſtinguatur ab errore Calvini, qui ex hoc fundamento tollit contingentia. Nam quod dicitur, me in ſenſu diviſo poſſe illud non facere, nihil aliud eſt dicere, quàm me poſſe non facere, ſi Deus non decrevit ut faciam: quod etiam Calvinus admittit. Adducit etiam pro ſe locum Apoſtoli, quem Cenſura adfert, cui nullo negotio reſpondetur, nos creari in operibus bonis, id eſt, ad opera bona: quia

dum

dum iuſtificamur in ordine gratiæ, velut ex nihilo producimur, id eſt, ex nullis meritis, ut ambulemus in operibus bonis. Ita Chriſoſt. Theoph. & alii, qui hoc tempore ſcribunt contra hæreticos. Hinc autem nullâ probabilitate ſequitur, Deum omnia opera bona in particulari abſolutâ & efficaci voluntate præordinaſſe, nullâ requiſitâ conditione ab homine. Teſtimonia, quæ hic adferuntur, nihil ad rem pertinent.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimâ quarta.

HAnc propoſitionem docet expreſſè Damaſ. lib. 2. de fide cap. 29. ubi dicit, quod Juſti incidant in calamitates, non eſſe ex Divino beneplacito, ſed tantùm ex permiſſione. Quàm autem ſit durum & à ratione abhorrens, dicere Deum abſolutè voluiſſe & præordinaſſe omnia Sanctorum ſupplicia, antequam prævideret futuros Tyrannos & impios, qui hæc ſupplicia vellent inferre; quod Cenſura hic docet, facilè quivis perſpicere poteſt: ſi enim præordinavit efficaciter v. g. ut S.

Laurentius in craticula propter fidem aſſaretur, antequam præviderct fore aliquem Tyrannum, qui hoc ſupplicium in odium Chriſtianæ Religionis vellet inferre; ergo etiam debuit efficaciter præordinare, ut hic Tyrannus odiſſet Chriſtum, & ex hoc odio S. Laurentium in craticula aſſaret: nam quicumque vult efficaciter aliquem finem, neceſſariò ſimul vult omnia neceſſaria ad eum finem, niſi ea videat poſita vel ponenda. Imò ad Providentiam Dei pertinere, corda Tyrannorum in talium ſuppliciorum inflictione formare & temperare, ſicut quidam MM. Noſtri docent: quæ an Calviniana non ſint, Docti judicent. Quæ Cenſura objicit, non egent reſponſione: non enim ſequitur: Deus omnis entitatis poſitivæ author eſt, ergo omnem entitatem poſitivam ante omnem præviſionem determinationis cauſarum ſecundarum præordinat, niſi DD. Cenſores velint dicere, quod Deus etiam efficaciter præordinaverit, ut Judas traderet Chriſtum, quia hæc traditio fuit entitas poſitiva, & ad eam Deus ut cauſa prima concurrit. Non video, quid aliud velint Calvinus & alii hæretici, quos damnat Trid. ſeſſ. 6. can. 6. ſimile eſt illud, ex ſola Dei ordinatione parvulos

fuiſſe

fuiſſe ab Herode occiſos, nam quod ex ſola Dei ordinatione vitam æternam jam pro Chriſto occiſi ſint conſecuti, libenter admittimus, ſed ad rem non pertinet.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ quintæ.

NOn reſpicit Cenſura, quorſum hæc dicta ſint: unde fuit facile ea carpere. Videatur altera Apologia, nam nihil novi hic adfertur, non enim negamus, quin prædeſtinati infallibiliter ſalventur, & qui moventur à Deo ſecundùm Divinum propoſitum, ut D. Auguſtinus loquitur, infallibiliter ſequantur: ſed hæc infallibilitas pendet ex præſcientia conditionata non autem ex mera efficacitate illius motionis prævenientis, quaſi in quocumque poneretur illa eadem motio præveniens vel alia illi omnino ſimilis, in eo ſtatim ſequeretur opus bonum, ita ut non ſit in poteſtate hominis illud impedire etiam in ſenſu compoſito: ſicut poſito concurſu Divino infallibiliter homo operatur, ita ut ſimul ille concurſus eſſe non poſſit cum non operari. Talem enim gra-

tiam præveniẽtem dicimus, hic non promitti, neque hanc eſſe gratiam Chriſti, quam Scriptura promittit, ſed potius Calvini. Videatur D. Auguſt. de grat. & lib. arbit. cap. 16. ubi iſtud, *faciam ut ſervetis*, ſic exponit: auferam cor lapideum: unde non faciebatis; & dabo cor carneum, unde faciatis: nec requirit motionem prævenientem ſingula opera, quæ voluntatem efficaciter aſſiciendo determinet. Imo ubique Divus Auguſtinus docet, Deum facere, ut faciamus, quia dat vires voluntati, & quia præparatur voluntas à Domino, ut patet ex illo cap. 16. & de prædeſt. Sanct. cap. 11. & 16. & aliis innumeris. Et idem habetur in epiſtola Cæleſt. Papæ ad Epiſcopos Galliæ, 8.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ ſextæ.

NOn provenire ex ignorantia phraſis S. Scripturæ hanc interpretationem, facile eſt oſtendere ex Patribus, qui per eos, quos Pater dat Filio, intelligunt communiter omnes fideles. Chriſoſt. Ho-

mil. 44. in Joan. *Cum dicit, Omne quod dat mihi Pater, demonſtrat non eſſe rem vulgarem credere in Christo, nec humano conſilio perfici, ſed ſuperna revelatione indigere, in qua animam devotè ſuſcipiat.* Et Homil. 8. in Joan. *Dicit autem, nemo ex iis perit, id eſt, quantum eſt ex parte mea, non perdam: quod manifeſtius alibi dicit, non eijciam foras: ut ſit verbo per ſcripturas dixeram, non ex neceſſitate a moribus.* Cyrill. lib. 4. in Joan. cap. 21. *Filio ergo qui vivificare poteſt, quæcunque vita indigent, Pater tradit: traditio autem hæc eſt, ut Filium cognoſcant, & credant ipſum verum Deum.* Et lib. 11. Cap. 21. *conſervaſſe ita diſcipulos ut ſingulos eorum præter perditionis filium perire perditionis autem filium appellavit qui ſponte ſua periit ſua, & ex proprio judicio proditionem elegit: non enim Divino inexpugnabiliq; judicio in diaboli laqueum incidiſſe credendum eſt &c.* Et infra: *Quod ſi proditor æqualiter aliis Diſcipulis Salvatoris auxilium non habuiſſet, fruſtra hæc a nobis dicerentur.* Videantur ſequentia. Theoph. in cap. 6. *Igitur ego, inquit, non perdam, quos dat mihi Pater: hoc eſt, eos qui credunt mihi.* Venerabilis Beda in hunc locum: *Hi fideles ſunt quos Pater illi dat filio, quando per internam inſpirationem facit eos credere in Filium.*

Ex his

Ex his patet omnes fideles dici datos Filio à Patre, quomodo etiam cæteri ferè omnes exponunt, & ſatis patet ex ipſo textu S. Scripturæ. Nec abhorret ab hac expoſitione D. Auguſtinus tract. 25. in Joan. ubi dicit, qui venit ad me, id eſt, qui credit in me. nemo autem venit ad Chriſtum, niſi datus à Patre ut patet ex eodem loco S. Scripturæ. Hinc patet hanc expoſitionem non eſſe futilem, cum ſit omnium fere Patrum, neque hic quicquam dicatur, quod D. Auguſtini dogmati repugnet.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ ſeptimæ.

DE hujus loci ſententia videatur altera Apologia in qua oſtendimus hanc expoſitionem eſſe fere omnium Patrum, quorum verba adferrem, niſi res eſſet per ſe clara; & prolixitatem vitarem. Nihil autem hic novi adfert Cenſura.

RES-

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ octavæ.

PRobandum eſſet DD. Cenſoribus, eo loco Apoſtolum velle oſtendere, Deum non ex præviſione bonorum operum vel malorum alios deſtinaſſe efficaciter & abſolutè ad gloriam, alios ad pœnas, hoc enim eſt quod hic negamus; quæ expoſitio omnibus Patribus repugnat, ut patet apud Ruard. art. 7. pag. 340. Dried. de concord. lib. arb. pag. 52. 53. & 54.

RESPONSIO

Ad Cenſuram Aſſertionis vigeſimæ nonæ.

IN hac Cenſura nihil contra me dicitur, ſolùm notandum eſt non videri Cenſuram hic ſibi conſtare; hic enim vult reprobationem eſſe factam propter præviſum peccatum, cum circa propoſitionem 24. velit, afflictiones Sanctorum eſſe præordinatas efficaciter ante præviſionem malitiæ Tyrannorum, quæ duo non videntur bene

[illegible] conſtare [illegible] ſi Deus præordi-
navit ſupplicia [illegible] hoc præviſio-
nem [illegible] quæ tamen non po-
terant [illegible] niſi per malitiam Tyran-
norum; [illegible] præordinavit
ſupplicia impiorum, ante præviſionem
peccatorum, licet niſi præcedentibus pec-
catis [illegible] hæc ſen-
tentia [illegible] illa de
electione ad gloriam circa propoſitionem
[illegible] Si enim Deus ante omnem præ-
viſionem & abſolutam & conditionatam
[illegible] gratiam ſuam eſſet
facturus, [illegible] abſolutâ
[illegible] ſalvandos,
certè conſequenter reliquos omnes ſic
non electos cenſeri rejectos ante omnem
præviſionem demeritorum. Quod etiam
ex eo convincitur, quia ſolis prædeſti-
natis præparavit gratiam neceſſariam ad
ſalutem, ut Cenſura docet circa Aſſer-
tionem 2.

RESPONSIO.

HÆc Aſſertio ſatis patet ex dictis cir-
ca aſſertionem 1. Teſtimonia au-
tem,

tem, quæ hic adferuntur, pleraque non loquuntur ad litteram de ſolis electis; nec ſi loquerentur, quidquam contra nos facerent: non enim negamus, numerum prædeſtinatorum eſſe certum, ſed negamus, eſſe certum ex mera prædeſtinatione, quæ non præſupponat præſcientiam conditionatam, ut dictum eſt circa propoſitionem. Nec nobis quidquam eſt commune cum errore eorum, qui præſcientiam eorum, quæ homo facturus eſt per liberum arbitrium nudum, volunt eſſe cauſam electionis ad gratiam & gloriam, ut nobis nimis frequenter imponit Cenſura, non advertens de qua præſcientia aut qualium operum loquamur.

RESPONSIO
Ad Cenſuram Aſſertionis trigeſimæ primæ.

HÆc Cenſura nihil continet præter magnam acerbitatem verborum & falſas impoſitiones, ne dicam columnias: nunquam enim diximus, voluntatis converſionem non eſſe dexteræ Excelſi, ſed liberi tantum arbitrii; aut non requiri neceſſariò ad converſionem ſufficientem

excitationem & præparationem, aut non requiri auxilium ſpeciale ſeu Divinam cooperationem ſupernaturalem, quæ tan-tùm iis immediatè præparata eſt, qui poſ-ſunt immediatè converti, aut hominem bonam voluntatem, quâ convertatur, à ſe ipſo ſperare, ſibi gratiam habere, in ſe ipſo gloriari poſſe. Neque iſtæ propoſi-tiones hoc vel in ſpeciem præ ſe ferunt, ut vehementer mirum ſit, bonis Viris in mentem veniſſe, hæc tam atrocia nobis affingere: hæc enim apertè hæretica ſunt, & ſimilia Calvinus de Catholicis colum-niatur.

Quod de infidelitate objiciunt: admit-to infideles ſæpè peccare, cum Divinis inſtinctibus, quibus à malo avocantur & ad bonum excitantur, reſiſtunt, & etiam graviùs damnari: non tamen ideo hi in-ſtinctus ex Divina Bonitate non prove-niunt. Videatur Dionyſ. Areop. de Cæleſt. Hier. cap. 9. Quod autem dicit, me Scripturas in alios & ineptos ſenſus &c. detorquere; quàm meritò dicat, vel ex eo patere poteſt, quod expoſitiones S. Scri-pturæ quæ hic reprehenduntur, ferè ſint omnium Patrum; expoſitiones autem, quibus utitur contraria ſententia, ferè ſint Calvini; ut iſtius loci: *Faciam, ut in præ-*

ceptis

ceptis meis ambuletis: Quoties volui congregare filios tuos: Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis mihi aperuerit &c. Deus operatur in nobis velle & perficere: Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis; & ſimilia. Eodem modo torquet Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. & 6. & can. 4. item c. 11. & c. 16.

Quod ad teſtimonia D. Auguſtini attinet, explicuimus ea ſumma perſpicuitate in altera Apologia, qua reſpondemus Cenſuræ Lovanienſi; in qua ſelectoria quæque & majore quàm in hac delectu adferuntur. Ad illud autem quod in fine de ſententia D. Auguſtini dicitur, ſatis reſponſum eſt in altera Apologia: non enim dico D. Auguſtini ſententiam difficilè vindicari ab hæreticorum argumentis, ſed contrariam ſententiam ei, quæ in toto contractu erat explicata.

PERORATIO.

HÆc breviter viſa ſunt mihi ad hanc Cenſuram notanda: rogatos autem velim illos bonos Viros, ut non tam facilè ad Cenſuras ſcribendas in aliorum dogmata prorumpant, antequam ea penitus intellexerint, & de mente Authoris conſtiterit: nam talibus ſcriptis vehementer

innocentes infamantur, & maledicis detractionibus & maledicentiæ materia ſubminiſtratur; & miniſteria ad honorem Dei pertinentia impediuntur, & alia multa incommoda conſequuntur, quæ quibus officiis compenſari poſſint, non video. Examinent diligenter Adrianum Papam, D. Driedonem & Ruardum & Reverendiſſimos ac Doctiſſimos Præſules Martinum Richovium & Ounerum hujus Univerſitatis Præclariſſima Lumina, deprehendent noſtra dogmata de gratia & prædeſtinatione ab iis luculentiſſime tradita eſſe. Fecit hoc per multos menſes Eruditiſſimus & Reverendiſſimus Epiſcopus Middelburgenſis, antequam quidquam in alterutram partem ſtatuere vellet; & ita tandem ſe habere deprehendit; cujus prudentiam & moderationem optarem DD. Cenſores ſecutos fuiſſe. Confido fore, ut ubi ipſi omnia depoſitis affectibus & propoſito ſuo judicio Divino expenderint, aliter de noſtris dogmatibus judicarent. Non enim hic agitur, an Auguſtinus ſit ſequendus in iis quæ contra Pelagianos diſputavit; ſed quæ ſit D. Auguſtini ſententia, & potiſſimum, an dogmata de gratia & prædeſt. & lib. arb. quæ nos tradidimus, ſint conformia Scripturis, Patribus, DD. Ec-

ſiis & recentioribus, qui contra hæretic.
diſputant: nam hæc accommodatiora eſſe
ad hæreticos refutandos, & curam anima-
rum gerendam, per ſe notum eſt: quid enim
facient Paſtores, cum in Univerſitatibus
didicerint: *Solis prædeſtinatis dari auxilium
ſufficiens ex parte Dei: illis ſolis præparatam
eſſe gratiam Chriſti, quæ eſt neceſſaria
ad opus bonum: neminem Divinitus excitatum
& adjutum habuiſſe auxilium ſufficiens, niſi
qui converſus fuit: neminem ſufficienter exci-
tatum præparatum habere in ſua poteſtate
auxilium quo convertatur. Eum qui habet
auxilium efficax, non poſſe non converti,
& illud auxilium habere, nullum eſſe unquam
in illius poteſtate: ipſum conſentire non
relinqui in hominis libero arbitrio: Deum
efficaciter, & abſoluta voluntate elegiſſe
omnes Electos ad gloriam immediate
ante omnem præviſionem operum quæ
adjuti gratiâ ipſius eſſent facturi, & ſta-
tuiſſe illos ad hanc gloriam conſequen-
dam nullâ requiſitâ ab illis conditione,
quam implere vel non implere, ſit in ipſo-
rum poteſtate: alios autem rejeciſſe De-
cretum ante præviſionem malitiæ Tyranno-
rum, & præordinaſſe & prævoluiſſe omnia
tormenta Martyrum,* & his ſimilia, quæ
in hac Cenſura indicantur. Certè non vi-

deo, quomodò illi vel hæreticis huius temporis reſpondere poterint, vel afflictas conſcientias conſolari. Scripſit de his ſubtiliſſimè libellum Reverendiſſimus D. Cunerus ſecutus Præceptores antiquæ ſcholæ Lovanienſis, ubi ea omnia dogmata clariſſimè explicat, quæ nos in hac materia tradidimus, & quæ Cenſuræ iſtæ oppugnant.

Quod autem quidam dicunt, Scholaſticos & recentiores non eſſe legendos, quod non habeant doctrinam defæcatam, valde alienum eſt (ut nihil grave dicam) ab Eccleſiæ & omnium Univerſitatum aliarum conſuetudine: non enim illi minus quàm nos, aut Scripturas, aut D. Auguſtinum alioſve Patres intellexerunt, cum plerique ingenio etiam præſtantiores fuerint.

FINIS.

PUNCTA QUÆDAM

Quibus explicatur exordium & Progreſſus controverſiæ

CUM DOCTORIBUS LOVANIENSIBUS.

DOgmata, quæ ab iis reprehenduntur, tradita ſunt unum annum & amplius, antequam ipſi in ea inquirere cœperint: nam prælecta ſunt anno 86. circa Paſcha, & publicè in ſcholis noſtris defenſa præſente quodam M. Noſtro, & quibuſdam Licentiatis, nec quiſquam, quod ſciam, illa auſus eſt damnare: nempe vivebat tunc adhuc Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Nuntius Apoſtolicus, qui hanc tragædiam non permiſiſſet excitari. Verùm anno ſequenti, cùm nulla eſſet ampliùs de illis quæſtionibus mentio, & aliæ materiæ à nobis tractarentur, moritur idem Illuſtriſſimus Nuntius Apoſtolicus: quo mortuo ſtatim multi Magiſtri Noſtri in noſtra ſcripta inquirere cœperunt, & ea reprehendere, quæ ante annum docueramus.

2. Anno 87. primâ hebdomadâ Paſchatis moniti ſumus à quodam Doctore, Facultatem aliquid contrà dogmata noſtra machinari, & paulò poſt intelleximus, eos in lectiones noſtras ab Auditoribus exceptas inquirere. Poſt tres hebdomadas obtulerunt nobis ingentem faſcem ſcriptorum, rogantes an ea pro noſtris agnoſceremus. Reſpondimus, non eſſe otium omnia illa perluſtrandi; ſi quid illis diſpliceret, id excerperent. Itaque paulò poſt

exhibuerunt nobis quaſdam propoſitiones hinc inde ex noſtris lectionibus ab Auditoribus exceptis detractas & avulſas, omiſſis iis, unde poſſent intelligi, petentes an eas pro noſtris agnoſceremus: reſpondimus, noſtras eſſe, ſed truncatas & ſuis locis avulſas, ita ut qui eas lecturi eſſent, non facilè poſſent intelligere, quorſum aut qua occaſione dictæ eſſent. Itaque confecimus 34 concluſiones, quibus continerentur omnia dogmata quæ ipſi notaſſent, & exprimerentur quædam clarius, quæ ipſi non videbantur intellexiſſe, quas obtulimus D. Decano tunc temporis M. N. Gaudano, præſente M. N. Cuyckio 15 Maii in Collegio Atrebatenſi; ſimulque petivimus nomine Provincialis & Collegii, ut D. Decanus Facultati proponeret, ut ipſa duos dignaretur deputare, qui nobiſcum coram arbitris hinc inde a partibus deligendis de illis ſententiis tractarent; & noſtram explicationem audirent, & quæcumque vellent circa eaſdem ſententias a nobis peterent; quod Decanus dixit ſe facturum; ſed Facultas colloquium recuſavit.

3 Circa initium Junii venerunt ad nos duo Deputati, qui ſcriptum illud ex noſtris lectionibus excerptum repeterent. Reſponſum fuit, ut induceret Facultatem, ut duos deputaret, qui nobiſcum, ut ſupra, coram Arbitris colloquerentur; & ſcriptum illud nos ibi exhibituros; habere enim nos rationes, cur aliter nos exhibere nolumus. Idem alias P. Rector & Profeſſores a variis Doctoribus inſtanter petierunt, ſed nunquam potuit obtineri.

4. Poſt paucos dies venit ad P. Provincialem M. N. Cuyckius, conquerens quod excerpta a Facultate nollemus exhibere. Quare P. Provincialis tædio affectus, altero ex Profeſſoribus vocato, rogavit quid videretur. Reſpondit ille, ſe para-

tum

tum eſſe exhibere, ſi ipſi videretur, nihil enim in excerptis eſſe periculi. Itaque P. Provincialis illa D. Curckio tradidit, qui cum indicaret Facultatem contra aliquid ſcripturam, reſpondit, ſi Facultas aliquid ſcripſerit, ego illud mittam Romam.

5 Iunio Auguſti deſcripta fuerunt multa exemplaria in Collegio Theologorum per ſeptem ſtudioſos, cognitumque per totam civitatem, Facultatem S. Theol. Patrum dogmata ſuâ Cenſurâ damnaſſe: & paulò poſt rurſum multa exemplaria per ſtudioſos ibidem deſcripta ſunt. Iunio Septembris ſignificatum eſt nobis à quodam Magiſtro Noſtro, nobis poſtero die exhibitum iri à Facultate quoddam ſcriptum. Petiit ab eo P. Rector, quidnam Facultas per illud ſcriptum à nobis exigeret. Reſpondit ille, ut videatis. Reſpondit Rector, nos ad veſtrum ſcriptum non reſpondebimus, niſi ante miſerimus illud ad R. P. N. Generalem: idem alter Profeſſorum multis ſtudioſis dixit, addens, ſcire eſſe magni momenti à communitate atque adeo ab integra Facultate oppugnari: quare nos etiam conſilio noſtri Generalis uti debere.

6 Duodecimo Septembris exhibita eſt nobis Cenſura Facultatis per Bedellum, qui nihil aliud dixit, quàm ſe à Facultate miſſum eſſe, ut hoc ſcriptum Rectori noſtri Collegii traderet. Reſpondit Rector, ut renuntiaret, ſe accepiſſe: neque Bedellus neque aliquis Magiſtrorum Noſtrorum antea vel poſt unquam rogavit, ut ſcriptum illorum vel Cenſuram Romam non mitteremus, multò minus pactum aliquod tale inter nos initum fuit: ſemper enim teſtati ſumus, nos ſi quid à Facultate contra noſtram doctrinam ſcriberetur, illud Romam miſſuros: ibi enim nos eam hauſiſſe. Unde verum non eſt, quod quidam Doctores ſcribunt in ſuis

epiſto-

epiſtolis, Facultatem, cum nobis Cenſuram traderet, rogaſſe ne cuiquam illam communicaremus, & 1.0. id promiſiſſe; & ſe non fuiſſe communicaturos Cenſuram ſuam ulli Epiſcopo, niſi nos eam Romam prius miſiſſemus, & inter diſcipulos publicaſſemus: hæc enim omnia poſſunt convinci manifeſtæ falſitatis. Paulo poſt ſex circiter exemplaria Cenſuræ deſcribuntur in ædibus Paſtoris S. Michaelis, ut per Belgii varia loca ſpargerentur; & tunc paſſim in manibus ſtudioſorum habebantur, & eodem menſe ad varios Epiſcopos miſſa ſunt.

7. Initio Octobris ſollicitati fuerunt varii Epiſcopi per Reverendiſſimum Mechlinienſem, ut judicium ſuum ſtatim de Cenſura perſcriberent, ſicut intelleximus tum variis rumoribus, tum litteris Reverendiſſimi Iprenſis, & quorundam aliorum. Scriptum eſt etiam a Reverendiſſimis Mechlinienſi, Lindano, & Vendevillio communi conſilio ad Reverendiſſimum Cameracenſem, ut judicium Facultatis S. Theologiæ Duacenſis & Sorbonæ exquireretur. Miſſa etiam fuit Cenſura Duacum eodem tempore a Doctoribus Lovanienſibus. Nos autem Cenſuram cum Noſtra Apologia tandem miſimus Romam ad P. N. Generalem circa medium Octobris. In Belgio autem a nobis nemini communicata fuit Cenſura vel Apologia, præterquam uni Epiſcopo, quem Facultas præterierat, qui eam aliquot menſes diligentiſſime examinavit antequam quicquam ſtatueret; & R. P. Provinciali ex Italia redeunti, niſi in decembri; & tunc duobus tantum communicavimus, ut illi ſecum quod ad Cenſuram reſponderent. Eodem tempore, ſcilicet initio Octobris, quo paſſim per Belgium ſpargebatur Cenſura, & ſollicitabantur judicia Prælatorum, Lovanii inſtituta fuit lectio publica con-

tra

etiam noſtra dogmata de auxilio ſufficienti & efficaci, quæ commiſſa fuit M. N. Jacobo Janſonio, quâ ſimul ſententia Facultatis explicaretur, ut dicebant, & noſtra refutaretur: nempe ut uno impetu & eodem tempore domi foriſque proſterneremur. Et poſtea in ſcholis publicis frequenter, etiam poſtquam Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus D. Nuntius Facultati ſilentium impoſuerat, per Doctores Pelagianiſmi notati) ſumus.

28. Circa Decembrem Reverendiſſimus Mechlinienſis iterum atque iterum ſententiam Reverendiſſimi Iprenſis (qui cæteris magis fuerat cunctabundus) petiit cum ſignificatione, Epiſcopos omnes & vicinas Univerſitates judicium ſuum jam dudum miſiſſe. Itaque ille ſub finem Decembris miſit breviter ſuam & Theologorum Eccleſiæ ſuæ ſententiam ſubſcribens Cenſuræ Lovanienſi: decimo tertio Decembris, ſcribit alter Profeſſorum epiſtolam ad R. P. Provincialem continentem quatuor rationes, quibus Facultas Duacenſis iſtic per noſtros a ſcribenda Cenſura abduci poſſet, ſed nihil effecerunt. Decimo quarto Decembris monitus fuit Reverendiſſimus D. Mechlinien. nomine Concilii Privati, Bruxellæ, ut dignaretur Facultatem Duacenſem impedire, ne Cenſuram contra nos perſcriberet, ſed judicium Romanum præſtolaretur; ſed nihil ſecutum eſt.

29. Vigeſimo Januarii 88. prodiit Cenſura Duacenſis, quam tandem accepimus à Reverendiſſimo Mechlinienſi, 8. Martii. Interim per totam Patriam apud ſummos & infimos, apud Eccleſiaſticos & ſæculares, atque etiam apud milites tanquam Pelagiani & hæretici traducebamur adeo ut D. Præſes Pamelius & quidam alii Viri magni in Aula graviter nobis indignarentur, & reprehenderent

noſtram,

noſtram, ut ipſi dicebant, ſecundùm, quod in cauſa tanti momenti minimè (nos defenderemus). Qua re motus P. Provincialis ſcripſit quamdam epiſtolam in Januario ad quemdam Gabonicum, qua ſimpliciter rem, ut erat, explicuit, & inter cætera queſtus eſt, quod inauditi, & cùm frequenter rogaſſemus audiri, damnati eſſemus. Contra quam & Profeſſoris epiſtolam quidam Doctores plurimas & acerbiſſimas per totam Patriam litteras ſparſerunt, nempe quod ab ipſis tamquam hæretici per totam Patriam traducti auderemus nos contra Facultatem defendere, & publicè teſtari multa falsò ab ipſis nobis imponi, & indignè nobiſcum actum eſſe. Videbanturque rem controverſiam ad contentionem verborum & querelam injuriæ velle transferre.

10. Undecimo Februarii eadem accepimus litteras Reverendiſſimi Mechlinienſis tertio ejuſdem datas, quibus ſignificabat ſe Cenſuram Duacenſi edita, & à nobis tria petebat. Primum, ut ſententiam noſtram, ſicubi minus intellecti eſſemus, clarius exprimeremus. Secùndum, ut oſtenderemus, ſi quid à Facultate eſſet erratum in colligendis Aſſertionibus, Tertium, in quo moderni Profeſſores Theologiæ à ſuis anteceſſoribus recedant. Miſimus illi ſex propoſitiones, quibus noſtram ſententiam expreſſimus, & capita quædam eorum, quæ falsò impoſita, & quæ propoſitiones non bene ab ipſis intellectæ eſſent, judicavimus, & quaſdam illorum ſententias, in quibus maximè à nobis in præſenti dumtaxat materia viderentur diſſentire, bonâ fide partim ex illorum dictatis, quæ in omnium paſſim habentur manibus, partim ex Cenſura collegimus (aliunde enim eas habere nequimus, nam nunquam voluerunt ſuas

ſententias

ſententias ſcriptò authenticè aperire, (etſi interdum à nobis rogati) in quibus ſententiis valde à ſuis Majoribus recedere videntur: & ſimul reſcripſimus eidem Reverendiſſimo D. ut Facultatem dignaretur indicere, ut nobiſcum in colloquium coram Arbitris venire non gravaretur: quod idem binis aliis literis, cum nihil ſecutum eſſet, P. R. petiit.

Circa initium Maii ſparſum fuit quoddam ſcriptum per quoſdam, ut dicitur, Doctores, ſuppreſſis tamen Auctorum nominibus, in quo multis convitiis nos proſcindunt; ſicuti ante in variis epiſtolis ubique ſparſis fecerant: nempe quod ſtatum controverſiæ hominibus patefecerimus. Sed præcipuam cauſam dicunt, quod illis multa ibi falſa imponamus. Ad quod reſpondimus, nos, quæ ibi dicuntur, probaturos coram Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo D. Nuntio Apoſtolico; itaque quieſcerent. Similiter ipſorum fore probare, quæ nobis falſa in ſua Cenſura imponunt.

BIBLIOTECA